# LEGES NOVAE REIPVBLICAE GENVENSIS

A LEGATIS SVMMI PONTIFICIS, CAESARIS, ET REGIS CATHOLICI.

In quos per Rempublicam collata fuerat auctoritas, conditæ,

*ET GENVAE DIE XVII. MARTII MDLXXVI. PVBLICATAE.*



MEDIOLANI,
Apud Antonium de Antoniis. 1576.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ІМ. І.І. МЕЧНИКОВА

# PROOEMIVM.

POST reſtitutam Genuenſi Reipublicæ Libertatẽ, quæ Andreæ Principis Auriæ ciuis optimi, ac de Patriæ dignitate, & ſalute potius, quàm de propria ſolliciti, uirtute, & beneficio donata, ac recuperata fuit: cœperunt paulatim, ac ſenſim in animis Ligurum ſerpere tacitæ ſimultates, ac occulta diſsidia, quæ poſtmodum tractu temporis, creſcente hominum cupiditate, & ambitione, florentibusq; diuitiis (vt opulentiæ comes eſt ſuperbia) ita exarſerunt, ut natæ continuò ex nimia fœlicitate inteſtinæ Seditiones, publicos in Ciuitate tumultus, & ciuilia bella excitarint. Iamq; eò uentum erat, ut omnes Italiæ Principes ex his rerum initiis, ſupremas, ac miſerabiles periclitantis Reipublicæ clades ominarentur, atque inde timerent, ne bellum in Italia omnibus exitiabile, nec facile extinguendum exardeſceret: Quando Gregorius Decimus tertius Pontifex Maximus, Maximilianus Cæſar Secundus, & Philippus Secundus Hiſpaniarum Rex, de Reipublicæ Genuenſis ſalute anxij, ac Italicæ quietis ſtudioſiſsimi, ſingulari clementia, ac pietate permoti, Legatos ad Rempublicam miſerunt; qui eorum auctoritate, & prudentia, tumultibus, diſsidiis, et controuerſiis ſedatis, reſtitutaq; priſtina quiete, Italicis tumultibus iam pullulantibus occurrerent. Hi fuere Ioannes Epiſcopus Oſtienſis Cardinalis Moronus,

ИМПЕРАТ. НОВОРОС. УНИВЕРСИТЕТА БИБЛИОТ.
155
949.
НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

*Sacri Collegij Cardinalium Prior, Legatus è Latere, &c. Petrus Faunus Coſtachiarius Aquenſis Epiſcopus, ac Imperij Princeps, Oratorq; & Commiſſarius Cæſareus. Don Carolus à Borgia Gandiæ Dux, ex Primariis Hiſpaniarum proceribus: Et Don Ioannes de Idiaquez, Catholici Regis Conſiliarius, & apud eoſdem Genuenſes Orator. Expoſitis autem Principum ſuorum mandatis, & obtentis à Republica, pro ea reformanda, ampliſſimis facultatibus, nihil habuerunt antiquius Legati, quàm Rempublicam malè compoſitam, ac proinde fluctuantem, ſanctiſſimis Legibus, & Decretis inſtituere, ac ſtabilire: Ligurumq; ingenia nimia fœlicitate laſciuientia, & inter ſe diſſidentia componere. Id, quod DEO Optimo Maximo bonorum omnium auſpice, & auctore, fuerunt conſecuti. Quod igitur fœlix, fauſtumque ſit, prodeunt in lucem Sacroſanctæ Leges pro Genuenſis Reipublicæ reformatione, ſub fœliciſſimis tantorum Principum auſpiciis conditæ, quibus poſthac in ea Ciuitate uiuendum erit. Quæ uti à prudentiſſimis uiris, & tam ſuapte natura, & ingenio, quàm maximè ex Principum ſuorum iuſſu Genuenſis Libertatis ſtudioſiſſimis, ſumma diligentia, & ſtudio compilatæ ſunt; ità ab omnibus iſtius Reipublicæ Ciuibus alacri, & prompto animo recipi, admitti, & tanquam ſola, & unica ſalus labentis, & cadentis Reipublicæ, & Libertatis obſeruari debent.*

IN



# IN NOMINE SANCTISS. ET INDIVIDVAE TRINITATIS.

IOANNES EPISCOPVS OSTIEN. CARDINALIS MORONVS, SACRI COLLEGII PRIOR, SANCTAEQ. SEDIS APOSTOLICAE DE LATERE LEGATVS, &c.

PETRVS FAVNVS COSTACHIARIVS, SACRI IMPERII COMES, ET PRINCEPS, EPISCOPVS AQVENSIS, CAESAREVSQ. ORATOR, ET COMMISSARIVS, &c.

DON CAROLVS A BORGIA GANDIAE DVX, &c. ET DON IOANNES DE IDIAQVEZ, SACRAE CATHOLICAE MAIESTATIS CONSILIARIVS, ET APVD GENVENSES EIVSDEM ORATOR, AMBO MINISTRI CATHOLICI REGIS, &c.

## De Religione. Caput Primum.

ADMONENT nos & Sacroſanctæ Leges, & Prudentum reſponſa, ut, antequam de formanda Republica, & de humanis Legibus condendis cogitemus, ad Chriſtianæ Religionis cultũ reſpiciamus. Adducimur etiam exemplo nonnullarum Prouinciarũ,

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. І. МЕЧНИКОВА

quæ ſtatim atque à Religione Chriſtiana deuiarunt, & declinarunt, ipſæ etiam declinare, ac demum ruere cœperunt. Propterea proſpicientes Rempublicã Genuenſem ſemper, & omni tẽpore Chriſtianæ Religionis cultricem fuiſſe, exiſtimauimus illud tantum eſſe prouidendum, ut Illuſtr. Dux, & Gubernatores ſtatim atque petitum fuerit à Reuerendiſs. Antiſtite, in cauſis, quæ ad forum ſuum ſpectant, & à Reuerendo Inquiſitore, pro coercendis, & caſtigandis Hæreticis, & ſuſpectis, brachium, & auxilium ſuum prompte concedere debeant. Inſuper aduertent, & cauebunt ne aliquid contra Clericorum perſonas, bonaùe Eccleſiaſtica, eorumùe immunitates, aut aduerſus Eccleſiaſticam libertatem aliquid committant, aut à Magiſtratibus committi permittant. Et quoniam Principis, & ſupremorum Magiſtratuum mores in Ciuitate maximè obſeruãtur, & ſpectantur, excitanturq; Populi, & ſubditi maiorum exemplis ad eorum imitationem; ut cultus Diuinus principaliter obſeruetur, hortamur Excellentiſſimum Ducem, Magnificos Gubernatores, & Procuratores, ceteroſq; in Ciuitate Magiſtratus, ut diebus ſaltem Paſchatis, & Natiuitatis Domini, in Eccleſia Archiepiſcopali à Reuerendiſſimo Præſule ſanctiſſimam Euchariſtiam publice, & reuerenter ſumant; diebus ſolemnibus in Eccleſia maiori manè conueniant, ibi Diuina, Verbumq; Dei audiant, & tempore Quadrageſimæ Prædicationibus frequenter interſint.

## Conſtitutio unici ordinis, & de reaſſumendis naturalibus familiis. Cap. II.

AD Reipublicæ Genuenſis inſtaurationem, aut po-



tius inſtitutionem manum appoſituri, iuxta Principũ noſtrorum facultatem, & auctoritatem, illud primo ante oculos habuimus, nihil eſſe, quod rectè inſtitutã Rempublicam facilius labefactare, eiusq; radices, ac fundamenta radicitus, & funditus extirpare, atq; euellere poſſit; nihil quòd eiusdem uitalem ſpiritum penitus extinguere ualeat, quàm ordinum nominũ, colorumùe diuiſio, & diſparitas, ac pernicioſæ in Ciuitate Ciuium factiones. Neq; enim dubitandum eſt, quin ſtatim atque abominanda hæc peſtis in Republica fundamenta iecerit, Ciues omnes poſthabito publici, ac communis boni, & commodi ſtudio, ac deſiderio (quod in libero Ciue præcipuum eſſe deberet) ad proprij coloris augumentum, & ad contrariæ factionis oppreſsionem temerario impetu, ac curſu impellantur: quæ poſtmodum futuræ & proximæ Tyrãnidis ſpeciem, aut imaginem referunt. Id, quod in hac potiſsimum Genuenſi Republica proprium, & præcipuum eſſe, tùm priſca, & uetera, tùm etiam noua exempla (quod ſummæ miſerationis eſt) clariſsimè demonſtrant, & oculis noſtris ſubiecerunt. Hiſce igitur exemplis, immo certa ratione commoti (quod inſtaurandæ huius Reipublicæ caput, & baſim exiſtimauimus) hac perpetua, & inuiolabili Lege ſancimus, & decernimus, tollendas eſſe omnes diuiſiones, quæ hactenus in hac Ciuitate malo ſuo extiterunt, tàm quæ nomina, aut cognomina perſonarum, quam quæ ordinum, colorum, factionum, aut locorum denominationem concernunt; atque ita tollendas, ut & radicitus extirpatæ, & à memoria hominum deletæ, & abolitæ penitus, & in totum eſſe cenſeantur. Et ut facilius hoc animi noſtri propoſitum executioni demandari poſsit: uolumus, & expreſſe mandamus, abroganda, & antiquanda eſſe nomina Nobilium Veterũ,

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. Мечникова

& Nouorum,ſeu Aggregatorum,aut Populariũ, eorumùe,qui intus,forisùe ſunt, Porticuumq; Sanctorũ Petri,& Lucæ,& omnia alia nomina,cognomina, appellationes,& denominationes,tàm perſonarũ,quàm colorum,aut factionum,familiarumq;, aut (quod dicitur) Albergorum, necnon locorum, & Porticuum, quæ hactenus in uſu,aut potius abuſu fuerunt;& omnia alia,quibus inter Ciues diuiſio induci, aut conſeruari poſsit; ita ut qui poſthac haſce abominabiles recordationes,aut quamlibet earum renouare, aut inſtaurare auſus fuerit, aut de eis contentioſe loqui, omnibus honoribus,et commodis Nobilitatis ipſo iure,et facto priuatus cẽſeatur. Declarãtes inſuper pro bono,iuſto,quieto,et pacifico Reipublicæ Regimine, omnes, qui nunc in libro Ciuilitatis deſcripti ſunt, et qui in futurum iuxta Legũ noſtrarũ formã deſcribentur, et omnem earũ diſpoſitionẽ explebunt, ita in ipſa reipublicæ adminiſtrandæ iuriſdictione,et auctoritate eſſe pares,et æquales,ut nulla penitus diſparitate,aut inæqualitate diſcernantur,et nõ minus, ac ſi eadem die,et hora omnes ad moderandæ Reipublicæ facultatem promoti,aut euecti fuiſſent. Volumusq; nunc,& perpetuo adeſſe unum ſolum, & ſingularem,nulliſq; terminis, aut numeris diuiſum Nobilitatis, & Ciuium Rempublicam adminiſtrantium ordinem. Inſuper cùm uſus ipſe planè docuerit omnes haſce priuatas ſimultates, ciuiliaq;, ac inteſtina diſsidia originem,fomentum,ac incrementũ habuiſſe ab his aſſumptionibus alienarum familiarum,& Inſignium, quæ per eos, qui Nobilitati aſcribebantur, hactenus factæ fuerunt; uolentes hanc malorum omnium radicem,& caput tollere, & extirpare; Mandamus,& enixe iniungimus omnibus, & uniuerſis Ciuibus in libro Ciuilitatis deſcriptis, & qui ab Anno

1528.



1528.citra alicuius familiæ nomen,& ſtẽmata aſſumpſerunt, ut in futurũ, & perpetuo ipſi, ac eorum deſcendẽtes propriæ, ac naturalis familiæ inſignibus, cognomine, & denominatione tàm in uoce, q̃ in quacunq; publica, aut priuata ſcriptura utantur, dimiſſo penitus nomine, & appellatione cognominis aſſumpti, & inſignibus. Non obſtantibus quibuſcunque Statutis, Legibus, Decretis, aut conſuetudine, in contrarium diſponentibus. Idem intelligatur in omnibus, & per omnia in his, qui in futurum in ordinem Nobilitatis cooptabuntur.

## Declaratio Artium Mechanicarum. Cap. III.

ANguſtiæ loci, & hominum multitudini, ac Regionis ſterilitati compatientes, ipſius denique Ciuitatis antiquum morem maturè conſiderantes. Declaramus artes infraſcriptas, ſi modo,quo infra exerceantur, nihil præiudicare Nobilitati; artes ſcilicet Serici, Lanæ, & Pannorum, quas uulgus Seateriam, Lanariam, Pannariam, & Draperiam uocat. Eademq; ratione artem eam, qua quis merces omnium rerum in magna quantitate, & non minutatim uendendas in officina aliqua retinet,qui lingua materna Fondaghieri all'ingroſſo nuncupantur; dum tamen Nobiles ipſi neque eas propriis manibus exerceant,neque in apotheca reſideant.

Notarios inſuper, qui inſtrumenta, & ultimas hominũ uoluntates domi ſuæ,uel in infirmorum ædibus conficiunt: dum tamen nec ſcamnum; ſeu apothecam priuatim, aut publice retineant, nec præcepta ſcribant, minuſq; apud aliquod Tribunal actuarij exiſtant, dignitati ſuæ, ac Nobilitati nequaquam de-

rogare decernimus.

Nobiles præterea, qui rei nummariæ, ac cambiorũ negotiationi operam dant, dummodo contractus fœneratitios, & cambia illicita, & à Sanctionibus Pontificiis damnata non exerceant, ad Magiſtratus, & alias ipſius Ciuitatis dignitates admitti poſſint. Si ſecus feciſſe legitimè damnati fuerint, ultra alias pœnas à iure inflictas, omnibus Magiſtratibus, ac dignitatibus, & in adminiſtratione Reipublicæ honoribus ipſo iure priuati ſint.

De his uerò Nobilibus, qui publica uectigalia, quas gabellas paſsim nuncupamus, & publicos redditus emunt, conducuntùe; illud ſtatuendum eſſe duximus, ut inter Nobiles cenſeri ualeant, ſi à mercenariis, & exploratorum officiis hoc in negotio abſtinuerint, & præſertim ſi nec ad Portas, Pontesùe in ſpectandis mercibus, nec in luſtranda regione pro explorandis fraudibus, uel mercede conſcribendis licentiis, aut libris, aut aliis huiusmodi operã ſuam impenderint.

Eos quoque ſumma ratione à Nobilitate non eſſe excludendos arbrtrati ſumus, qui nauigationi egregiè operam dant. quòd antiqui Genuenſes his artibus magnum Patriæ, & ſibi nomen compararunt, poſterisq; ſuis gloriam propagarunt, indeq; quotidie Vrbi ipſi maxima commoda proueniant. Itaque Nauarchos, quos uulgus magnarum Nauium, & Triremium Capitaneos, & Patronos uocat, nequaquam Nobilitati ſuæ derogare decernimus.

Ceteras autem omnes alias Artes, in quibus manuum artificium uerſatur, & præſertim quando res emuntur, ut in aliam formam manuum opera mutentur, & uendantur, Mechanicas, & Nobilitati repugnantes declaramus.



## De Nobilibus nunc, & quotannis creandis. Cap. IIII.

CVpientes Rempublicam hanc quotidie magis augeri, & floreſcere; exiſtimauimus nihil eſſe, quod ei maius incrementum afferre poſſit, quàm ſi bonis ciuibus, & qui in Rempublicam propenſo ſunt animo quorum numeroſa eſt in hac Ciuitate copia, conſequendæ Nobilitatis præmia proponantur; Hoc enim pacto fiet, ut multi hac ſpe gloriæ, & honoris allecti, ad uirtutem, ac ad de Republica benemerendum accendantur.

## Nobiles pro hac prima uice quomodo creandi.

HI igitur, qui hodie ad Nobilitatem aſpirant, uel eã quouis iure, aut decreto ſibi deberi prætendunt, deſcribi ſe curabunt apud quem Senatus decreuerit. Mox ex Illuſtriſſimis Duobus Collegiis quinque ſorte extrahentur, qui pro hac uice Magiſtratus officio fungentur. Iurabunt iſti in primis in manibus Ducis ſe legaliter, & fideliter, ac ſecreto munus ſuum expleturos. Habebit hic ordo notulam omnium prætendentium, ſeu candidatorum, & omni diligentia, fide, ac ſilentio ſine ſcriptura aliqua ſingulorum qualitates inquiret, receptaſq; uniuſcuiusque informationes Senatui, Duobus Collegiis, ac Minori Concilio ſimul coactis fideliter referet. Quibus maturè perpenſis, ſi quis eorum duas partes ex tribus ſuffragiorum feret, aſcriptus Nobilitati cenſebitur; qui uerò ſecus, pro ea uice à Nobilitate excluſus erit. His, qui hac prima uice inter Nobiles aſſumi cupiunt, ſi Genuæ, uel in Dominio fuerint, ſtatutum intelligatur tempus



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА

ſex menſium à die promulgatarum præſentium Legum, intra quod aſſumi curent; his uerò, qui abſentes erunt, anni unius. Quòd ſi in dicto tempore non aſſumentur, ſciant ſe omnino, & prorſus excluſos eſſe à ſua prætenſione. Non obſtantibus quibuſcunque Decretis, ſiue generalibus, ſiue particularibus, aut deſcriptionibus quibuſcunq; ; quæ omnia penitus, & in totum irritamus, & annullamus. Declarantes hiſce ſaluum eſſe ius tantum, hanc aſſumptionem obtinendi in numero eorum, qui quotannis ad Nobilitatem euocandi ſunt: ſi modo ſeruarint ea, quæ in præſenti Sanctione ſancita ſunt. Ceterum his, qui hac prima uice ad Nobilitatem aſpirant, non oberit artes Mechanicas exercuiſſe: modo eas omnino dimittant ante aſſumptionem. Aliis autem qualitatibus, quas in his, qui iure ordinario, & in ſingulos annos cooptādi ſunt, requiſiuimus, nullo pacto careant. Filij, quos Nobiles iſti poſtmodum de legitimo matrimonio ſuſcipient, & ipſi Nobiles intelligantur.

In Nobilium numero deſcripti, qui hactenus artes Mechanicas Nobilibus præſentium Legū uigore interdictas & exercuerunt, & exercent, intra annum à promulgatione præſentium, uerè, & cum effectu eas dimittant. Interim uerò priuilegiis Nobilitatis nō careant. Quòd ſi intra alium annum, quem ex poſt ex gratia indulgemus, intra quem tamen perfrui Nobilitate non licebit, omnino artes Mechanicas non reliquerint, ſtatim ipſo iure, & facto perpetuò à Nobilitate eiecti cenſeantur. & uti Legum, & Nobilitatis contemptores, non poſſint amplius ad eam reſtitui. Horum filiis, dum pater inter Nobiles erat, natis non oberit paterna eiectio, modo ipſi à Mechanicis artibus abſtineant, nec aliud priuatione dignum committant. Poſt uerò eiectionem, & ante adeptam No-



bilitatem nati non cenſeantur Nobiles; ſed uirtute ad inſtar cæterorum uiam ſibi ad parandam Nobilitatem ſternant.

Inſuper ſtatuimus ut ſingulis annis in ipſo Ianuarij menſis initio Illuſtriſſima Dominatio, cum duobus Collegiis, ac minori Concilio diligenter conſideret, ac perpendat, an eo anno aliqui ſint inter Nobiles adſcribendi; quòd ſi uiſum fuerit aliquos cooptandos eſſe, non poſſit ultra decem, ex Ciuitate ſcilicet ſeptem, ex Ripariis uerò tres, Nobilitate inſignire. Cùm igitur de aſſumendis Nobilibus decretum fuerit, Illuſtriſſima Dominatio, deſcriptis omnibus utriuſque Collegij nominibus, curabit diligenter ut ſorte quinque extrahantur, qui omni diligentia, fide, ſilentio, & prudentia, & ſine ulla prorſus ſcriptura informationes uniuerſaliter ſumant, quinam illi ſint in Ciuitate, & Ripariis, quos magis Nobilitatis ſplendore dignos, & Reipublicę profuturos exiſtimarint; ut ſuo tempore in Senatu, & minori Concilio diſtinctè, & ſine ulla fraude referre ualeant. Quod ut melius & ſalubrius efficere poſſint, coram Excellentiſſimo Duce iuramentum præſtabunt, quòd eorum munus fideliter explebunt. Et nihilominus qui uota dare debebunt, ipſi quoq; norint, ſe ceterorum diligentia à propria negligentia non eſſe excuſatos.

Hos autem, qui hoc ſplendore Nobilitatis cohoneſtari cupiunt, conuenit bonæ uocis, & famæ eſſe, ex legitimo matrimonio natos; ab omni arte Mechanica per triennium ante abſtinuiſſe; omniq; hæreticæ prauitatis, ſeditionis, aut criminis infamiam irrogātis labe mundos eſſe; Ciuitatemq; Genuæ, uel Riparias (debite referendo), cum uitæ integritate, morumq; honeſtate diutina, maiorum habitatione incoluiſſe oportet.

НАУЧНАЯ БИБЛИОТЕКА ОНУ им. И. И. МЕЧНИКОВА

## Qua ratione ipſis Ciuibus ſit uiuendum,& ad Regimen Reipublicæ accedendum.

CIues ipſi, poſtquam Nobilitate modo quo ſupra, inſigniti fuerint, non poſſint amplius in futurū aliquam artem Nobilibus prohibitam exercere; alias ipſo iure,& facto priuati Nobilitate perpetuo exiſtāt. Ad Conciliū autem maius non prius admittantur,quàm per quatuor annos Legem Nobilitatis ſeruarint. Ad minus Concilium, ac Magiſtratus, tàm in Dominio, quàm in Ciuitate, dempto Senatu, Procuratoribus, ac ſupremis Sindicatoribus, non prius promoueantur,quàm ſex anni fluxerint à die cooptationis in ordinem Nobilitatis. Inter Senatores,& procuratores non deſcribantur, niſi lapſis annis decem ab adepta Nobilitate. Ad ſupremum uerò Ducatus culmen,nō niſi annis quindecim elapſis, euehi poſſint. In reliquis uerò aliorum Nobilium cōmodis perfruentur.

## De conficiendo libro Ciuilitatis. Cap. V.

CVM adminiſtratio Reipublicæ Genuenſis his tantum ciuibus credita ſit, qui in libro Ciuilitatis deſcripti ſunt, & pro tempore legitimè deſcribentur; exiſtimauimus conuenire,quòd liber hic certa aliqua cum ratione,& Lege compiletur,& regatur, conſcriptusq; diligenter cuſtodiatur. Propterea uolumus quàm primum in libro egregiè compacto,& conſuto, & numeris ſuis in unaquaque pagina diſtincto, deſcribi per Cancellarium,aut Scribam ab Illuſtriſſima Dominatione deputandum,præſentibus tamen Illuſtriſ-



ſimo Duce,& duobus ex Magnificis Gubernatoribus ſorte extrahendis, omnia nomina eorum Ciuium, & Nobilium Genuenſium, qui in libro Ciuilitatis nunc deſcripti reperiuntur, cum eorum nominibus propriis, ac patrum ſuorum, & cognomine propriæ, ac naturalis familiæ ſuæ, dimiſſa aſſumpta, ſi quam habent. His addi uolumus nomina omnium, quos ex his, qui deſcripti ſunt,legitimè natos eſſe conſtiterit: etiam quòd abſentes à Ciuitate ſint. Alios uerò, ſi quos deſcribi continget, non niſi ſeruata forma à nobis præſcripta, in eo libro referri uolumus.

## De libris Nobilitatis diligenter cuſtodiendis. Cap. VI.

POſtquam Nobilitatis liber modo, quo iam ſanximus,completus erit uolumus eius exemplar fideliter,& ad uerbum expleri. Horum alterum Illuſtriſs. Dominatio, alterum Magnifici Procuratores perpetui ſeruabunt. Nemo audeat ſuper aliquo eorū ſcribere,nec nouum aliquod nomen,aut familiam addere,aut iam inſcripta nomina,aut familias delere, aut in eis eorumùe aliquo quicquam penitus, nec ſyllabam immutare, niſi Cancellarius ad id per Illuſtriſſimam Dominationem deputandus; atque id, non niſi præſente,& mandante Illuſtriſſimo Duce, & Duobus ad id muneris nominandis, nec ſuper aliquo eorum aliquid inſcribat, aut aboleat, niſi etiam ſuper altero itidem perficiat. Et hæc omnia obſeruari uolumus ſub pæna falſi. Statim autem ac omnia inſcripta erunt, quæ Illuſtriſſimus Dux, & duo Deputandi ut ſupra mandauerint,libri in locis iam deſtinatis reponentur. Quòd ſi in aliquo horum aliquid abraſum,

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. І. МЕЧНИКОВА

aut additum, quod ſuſpicionem pariat falſi, comperietur, ſciant hi, quorum fidei librorum cuſtodia commiſſa eſt, ſe huius temerarij facti, aut negligentiæ ſuæ rationem reddituros.

## Compoſitio vrnæ pro Seminario maiorum Magiſtratuum. Cap. VII.

COnſcripſimus cētum & viginti Patres ex toto Reipublicæ corpore ſummo ſtudio, et diligentia ſelectos; qui prudentia, virtute, rerum experientia, & in Patriam meritis viſi ſunt præſtantiores. Qua in re illud tantum in animo habuimus, ut Reipublicæ conſeruationi, & publicæ quieti hac optimorum virorum electione conſuleremus. Eorum autem nomina in vrna reponi iuſsimus; vt maiorum Magiſtratuū, quorum conſilio hæc Reſpublica in futurum moderanda erit, celebrè, atq; elegans ſit Seminarium. Verùm non videtur plenè ſatisfactum noſtris mentibus; niſi etiam prouideatur, quo pacto Seminarium hoc, tanta cum ratione conſtitutum, à fraudibus, quæ contingere poſſent, ſartum, tectumq; conſeruari debeat; qua item ratione extrahendorum deficientium, aut eijciendorum (ſi qui erunt) numerus ſingulis annis ſuppleri poſsit. Sancimus igitur in primis horum nomina cum familiæ, & patris denominatione in membranis, ſeu chartulis eiuſdem materiæ, formæ, ac magnitudinis deſcribi; eaſq; vniformi ratione complicatas in capſula ferrea reponi debere; quæ ſine trium clauium diuerſarum miniſterio aperiri non poſsit. Harum vnam Excellentiſsimus Dux, aliam Procurator natu maior, tertiam verò Cancellarius ab Illuſtriſsima Dominatione deputandus ſeruabũt.

Claude-



Claudetur capſula hæc ita firmata in alia ferrea, quæ Excellentiſsimi Ducis fidei committetur. Clauium autem duarum, & diuerſarum, quarum opera capſa hæc maior reſeranda erit, altera apud vnum ex ſupremis Sindicatoribus, qui alios ætate præcellat; altera apud vnũ ex Legum cõſeruatoribus cuſtodietur.

Ad hæc volumus præcipuum librum confici, in quo vti diligenter, & fideliter eorum Ciuium nomina, prout in membranis, & chartulis, quæ in capſula conduntur, iacent, deſcripta erunt, ita deficientium extrahendorum, nec non eorum, qui tanquam facti indigni eijcientur, nomina, & ex aduerſo nomina eorum, quos in talium locum ſubrogari continget, in dies referri debere, decernimus. Huius autem libri cuſtodiam, & rationem Conſeruatoribus Legum committendam duximus.

Vbi electio aliqua facienda erit Gubernatorum, & Procuratorum; quæ in ſingulo ſemeſtri medio menſe Iunio, & medio Decēbri fiet coràm duobus Collegiis, ac Conſilio minori, adſiſtētibus etiam Conſeruatoribus Legum; Illuſtriſsimus Dux capſam deferri mãdabit, & per Puerum annorum ad ſummum decem ab Illuſtriſsima Dominatione uocandum, quem tunc publicis impenſis veſtiri volumus, aperiri, ab eaq; per eundem Puerum quinque nomina, aut chartulas, quæ prius ſedulò commixtæ ſint, extrahi; ex quibus, tres, quorum nomina primo loco educentur, Gubernatores, & duo poſtremi Procuratores conſtituantur: ſi tamen prius Conſeruatores Legum eos, & ſuperſtites eſſe, & præſentes, uel non diſtantes à Ciuitate centum millibus paſſuum, ita ut termnio quindecim dierum vocati ad Magiſtratum accedere poſsint, nec ex Legum noſtrarum ſerie aliquo modo factos indignos recognouerint. Si ex his, qui ſorte extracti

C

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

erunt, aliqui mortui ſint, aut poſtquam in vrna conditi ſunt, facti indigni ex Legum noſtrarum norma; nulla harum chartularum ratio habeatur: ſed alii eorum loco ſtatim educendi erunt per Puerum. Quòd ſi in eis aliqui erunt abſentes vltra centum milliaria, eorum nomina in vrnam, aut capſulam reponentur, aliis extractis. Si verò ex his, quos Puer primo educet, reperiantur duo, aut tres vnius familiæ, ita exiſtimauimus conuenire, vt primus in Gubernatorum numerum electus intelligatur; ſecundus in Collegium Procuratorum cooptatus; tertij verò nomen, ſeu chartulam in vrnam reponi mandamus. Si verò ex vltimò extractis, ambo reperiantur eiuſdem familiæ, poſtremum in vrnam conijciendum eſſe, altero educto, volumus. Eorum munus biennio duret, quo lapſo, omni Magiſtratu vacent.

Vbi ſupplendus erit numerus extractorum, mortuorũ, & eorum, qui, vti facti indigni, eijcientur, quem omnino in fine cuiuſlibet anni ſuppleri volumus; eliget menſe Decembri Concilium minus, concurrentibus tribus partibus ex quinque ſuffragiorum, ex vniuerſa Nobilitate duplicatum numerum eorum, qui reponendi ſunt in vrnam; qui tamen requiſitis qualitatibus non careant. Horum nomina ad Concilium maius mittentur; quod, ſumptis de more ſuffragijs, frequentiori calculo eliget eos, qui ad complendum vrnæ numerum neceſſarij ſunt; & vbi paribus votis contendatur, nec contentio bis ſumptis ſuffragijs, tolli poſſe videatur, tunc ſorte ex eodem Concilio quinque eligantur, qui paritatis contentionem votorum imparitate tollent. Si de aliquo, qui præſens ſit, ſuffragia ferenda erunt, ipſe omnino à voto abſtinebit, ne in propria cauſa iudicium ferat. Idem intelligatur ſancitum vbi de patre, filio, fratre,



ſocero, aut genero ſuffragia ferenda erunt. Licebit vnicuique in Concilio minori vnum tantum omnium votis diſcutiendum nominare; modò nec patrem, nec filium, nec fratrem, nec ſocerum, aut generum nuncupet. Horum, qui Concilij maioris iudicio aptiores fuerint exiſtimati, nomina in chartulis, ſeu membranis conformibus, & paribus, vt dictum eſt, conſcribantur, & in capſula recondantur, necnon in librum diligenter referantur.

## Firmatio numeri Gubernatorum, & Procuratorum. Cap. VIII.

SAncimus in poſterum Collegium Gubernatorum ex duodecim Ciuibus conſiſtere. Procuratorum verò ex octo, vltra perpetuos.

## Quòd in Collegio Gubernatorum, nec Procuratorum non poſsint duo ex eadem familia eſſe. Cap. IX.

VT autem vnuſquiſq; in partem munerum, & Magiſtratuum ſe vocatum eſſe ſentiat; volumus geminos ex eadem familia in Gubernatorum, nec Procuratorum Collegio eodem tempore poſitos eſſe; vnum verò in ſingulo Collegio concedimus, vltra Ducem, & perpetuos.

## De qualitatibus, quæ in Magiſtratibus Ciuitatis requiruntur. Cap. X.



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. І. МЕЧНИКОВА

NVllus ad Magiſtratus, nec ad aliqua ex Concilijs aſſumatur, niſi habeat in Ciuitate Genuæ domicilium, aut in ea habitet. Habitare autem, & domicilium habere quis intelligatur, ſi cum parentibus, aut in domo cōducta in Vrbe maiori anni parte viuat.

## De maiori Concilio.

COnſiliarij maioris Concilij, quod Principis, ſeu Reipublicæ perſonam refert, minores annis viginti quinque ne ſint: liceat tamen his, quibus creandi huius Concilij auctoritas data eſt, vſque ad ſexaginta eligere, qui vigeſimum ſecundum annum exceſſerint: ſi ita eis expedire videbitur. Artem aliquam Nobilibus non conceſſam per triennium ante non exercuerint. Excipiuntur ab hac ſanctione hi, qui vigore præſentium Legum in termino anni, aut biennij artes Mechanicas deſeruerint.

## De Concilio minori.

QVi ad Concilium minus euocandi ſunt, pro medietate annorum ſint non minus triginta: pro alia verò ad minus viginti ſeptem (Doctoribus, & Medicis exceptis) qui, ſi reliquis qualitatibus nō carebunt, biennio ante recipi poterunt. Sint Ciuitatis habitatores. commodum habeant in Ciuitate, aut Dominio patrimonium. Artem aliquam Mechanicam, & Nobilibus non conceſſam per quinquennium ante non exercuerint.

## De Magiſtratibus Ciuitatis.





QVi in Ciuitate Magiſtratum aliquem obire ſperat, ſit Nobilis, & maior annorum viginti ſeptem. artem aliquam Nobilibus interdictam per annos octo non exercuerit. Ad duos Magiſtratus obeundos eodem tempore nemo admittatur; quòd ſi quis ad ſecundum eligatur, poſſit, primo retento, alterum repudiare; ubi uerò reiecto primo, ſecundum maluerit, diſponatur de primo iuxtà Legum decreta.

## De electione triginta Electorum.
## Cap. XI.

IN fine Decembris cuiuſlibet anni coràm Illuſtriſſimis Collegiis conueniet Concilium minus in numero à nobis præſcripto; ibiq; licebit unicuique eorum Ciuem unum, modo non ſit pater, filius, frater, ſocer, aut gener, nec à Ciuitate abſit; ubi tamen in eo concurrant qualitates, quas in Concilij minoris Patribus requiſiuimus, ex uniuerſo Nobilium cœtu nominare; & concurrentibus tribus partibus ex quinq; ſeliget triginta Ciues optimos; quibus electio maioris, & minoris Concilij commiſſa erit. Quòd ſi de aliquo, qui Concilio interſit, aut eius patre, aut filio, fratre, ſocero, aut genero ſuffragia ferantur; aduertent Conſeruatores legum, & auctoritate Excellentiſſimi Ducis prouidebunt, ut ille omnino à uoto abſtineat. eadēq; auctoritate prouidebunt ne Conſiliarij, etiam ex cauſa neceſſaria à Prætorio recedant, niſi perfecto opere, quòd cœperunt.

## De electione maioris Concilij.
## Cap. XII.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

HOrum triginta Ciuium, qui Electores uocantur, munus erit eadem die, ubi id fieri poſſit: ſin minus, immediate ſequenti ſummo manè, auditis prius diuinis coràm Illuſtriſſimo Duce, & Gubernatoribus in Prætorio conuenire; ibiq; ex uninerſa Ciuium Nobilitate, demptis abſentibus, hisq;, qui tunc Conſiliarij munus obeunt, & quibus qualitates à lege requiſitæ deficiunt; quadringentos Patres eligere; qui futuro anno Concilium maius, & perſonam Principis, ſeu Reipublicæ referant; concurrentibus tamen tribus partibus ex quinque ſuffragiorum. Inter hos autem licebit eis uſq; ad ſexaginta Ciues in eo ordine referre, qui annum uigeſimumſecundum tantum exceſſerint: ſi ita eis expedire uidebitur.

## De electione Concilij minoris. Cap. XIII.

COnſcripta hac electione Patrum, ex eis ſeligent eodem ordine, & numero ſuffragiorum cētum uiros, qui qualitatibus à Lege requiſitis non careant. Hi autem ita electi Concilium minus conficiant. Quòd ſi numeroſæ hæ electiones prima die abſolui non poterunt, redibunt Electores ſequenti die; nec a Prætorio diſcedere audebunt, niſi perfecto negotio. Confidimus autem Electores pro eorum uirtute, & prudentia, poſthabitis omnibus affectibus, aptiores, & digniores ad unumquodque munus nuncupaturos, & familiarum omnium congruam rationem habituros.

## De tollendis controuerſiis, quæ in electione triginta Electorum oriri poſſent.



## Cap. XIIII.

LIcet; ſublatis antiquis Legibus, quæ quandoque in Republica diſcordiis, & ſimultatibus inter Ciues cauſam aut occaſionem præbuerunt, introductisq; nouis Legibus, ac conciliatis Ciuium inter ſe animis; auxiliante DEO Optimo Maximo bonorum omniū auctore, nobis iure ſperandum ſit, Rempublicā hanc optimorum Ciuium conſilio, & auctoritate, ſemotis penitus omnibus ſimultatibus, ac diſſidiis, adminiſtratum iri, & omnium Magiſtratuum electiones ſumma cum animi temperantia, & moderatione fieri debere; nihilominus ad ea etiam proſpicientes, quæ uix accidere poſſe confidimus; exiſtimauimus non eſſe ab re, ſi certam aliquam formam hiſce Magiſtratuum electionibus præſcriberemus: ubi aliquas earum in controuerſiam deduci continget. Iccirco ubi Concilium minus in legitimo numero coactum pro ſeligendis triginta ciuibus, ad quos paulò ante diximus pertinere ius conſtituendi Concilium maius, item minus, id operis termino horarū octo nō perfecerit, Volumus ex numero Gubernatorū, & Procuratorū, qui præſentes erunt, educi ſorte quatuordecim, qui, iuncti Concilio minori, concurrentibus tribus partibus ex quinq; ex his omnibus, qui prius per Concilium minus nuncupati fuerunt, tot eligant, quot ad implendum numerum triginta neceſſarium eſſe cognouerint. quòd ſi hi omnes, modo quo ſupra, non poterunt numerum triginta electorum ſex horarum ſpatio implere, termino horarum duarum cum frequentiori ſuffragiorum numero implere electorum numerum conabuntur. Quòd ſi id aſſequi non poterunt; ex hoc corpore (nempe Concilij minoris, & adiunctorum,) uolu-

cur-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

mus ſorte undecim Patres tolli, qui uoto careant. reliquos uerò ex iiſdem nuncupatis, concurrentibus pluribus uotis, eos eligere debere, qui ad implendum numerum triginta Electorum defuerint.

## De tollendis controuerſiis, quæ in electione maioris Concilij oriri poſſent.

## Cap. XV.

POſtquàm triginta, quos Electores diximus, de uniuerſo Nobilium cœtu, demptis inhabilibus, & aliis, quos ſupra diximus, ſumptis de more ſuffragiis, periculum fecerint: nec reperti fuerint tot ciues, qui, concurrentibus decem & octo uotis, pro implendo Concilio, idonei iudicati fuerint; iterum per eosdem Electores de his omnibus, qui prius integrum, & præſcriptum ſuffragiorum numerum non retulerunt, uota ferantur. Et ubi ſecunda hac uice, nec dum opus perfici poſſit, mandamus decimari numerum Electorum ſorte; ita ut uacantibus tribus à ſuffragio, cũ frequentiori reliquorum uoto deficiens Cõcilij maioris pars ſuppleatur.

## De tollendis controuerſiis, uel in eligendo minori Concilio, caſu subortis.

## Cap. XVI.

QVòd ſi in eligendo minori Concilio, ſumptis ſuffragiis ſuper uniuerſo Concilio maiori prima uice, numerus impleri non poſſit; uolumus iterum ſumi ſuffragia de his, qui, licet habiles ſint, tamen integrum, & legitimum numerum non retulerunt. & ubi, concurrentibus tribus ex quinq; uotorum partibus, non poſſit centumuiralis ordo compleri, tunc cum maiori ſuffragiorum numero deficiens Cõcilij minoris pars eligatur. quòd ſi adhuc difficultates paritatis laboretur, mandamus ſorte decimari numerum triginta electorum: ut electis tribus uotis, paritate omnino ſublata, maior ſuffragiorum frequentia Concilium minus impleat.



## De tollendis diſsidiis, quę in eligendo duplicato numero pro implendo Seminario oriri poſſent. Cap. XVII.

SI uerò in electione duplicati numeri per Concilium minus eligendi, eorum, qui quotannis ſubrogandi ſunt, ut in urnam, aut Seminarium eorum nomina cõiiciantur, aliquæ emergant difficultates; illud, pro eis ſuperandis, ſeruare mandamus, quod ſupra, in creandis per minus Concilium triginta electoribus ſanciuimus.

## De ſubrogationibus Magiſtratuum, aut Officialium. Cap. XVIII.

VBI uel morte, uel abſentia, uel alia ex cauſa Magiſtratum aliquem, aut Conſiliarij munus uacare contingat, hi, quibus ſubrogandi auctoritas demandata eſt, alterum in eius locum quàmprimum eligãt, qui eas qualitates, & conditiones habeat, quæ Legibus noſtris præſcriptæ ſunt; ſeruentq; eosdem modos, & formam, quæ in principalis delectione ſeruata fuit. Auctoritatẽ uerò ſupplendi deficientes in utro-

D

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. І. МЕЧНИКОВА

que Concilio, duobus Collegiis, ac minori Concilio præſentium uigore demandatam eſſe uoluimus.

## Quot uota requirantur in deciſionibus Collegij Gubernatorum. Cap. XIX.

EA, quæ à Gubernatorum Collegio, & tractanda, & ſtabilienda erunt, ſi octo ſuffragiis concurrentibus, approbata fuerint decreta, & ſancita intelligantur, & executioni mittantur: ſaluis tamen, & exceptis his caſibus, in quibus certa Lege maiorum ſuffragiorum concurſum requiſiuimus.

## De tollendis contentionibus, quæ in dicto Collegio oriri poſſent. Cap. XX.

QVòd ſi aliquæ ſuboriãtur contentiones, atque ea ratione negotia expediri non poſſint; Volumus Collegium Procuratorum uocari, ut collato ſimul negotio, interueniente legitimo ſuffragiorum numero, quod iuſtum, & conueniens fuerit, ſanciatur. Sed ſi nec dum ingenia hominum conuenerint (quod tamen ſperamus non futurum) mandamus acciri Conſilium minus, ut prudentia, & æquitate ſua, reiectiſq; animorum affectibus, frequentiori calculo controuerſum negotium concludendo pertinaces haſce contentiones, & maxime indignas tollat.

## Quot uota requirantur in deciſionibus Collegij Procuratorum. Cap. XXI.

EA uerò, quæ à Procuratorum ordine ſunt terminanda, nonniſi concurrentibus duabus partibus ex tribus ſuffragiorum ualidè poterunt deliberari.



## De controuerſiis Collegij Procuratorum caſu exortis tollendis. Cap. XXII.

SI autem inter Collegas nata contentione, impediantur rerum exitus; ſancimus adeundum eſſe Collegium Gubernatorum; ut iunctis uotis, & trutinato negotio, conformibus animis, quòd æquum fuerit decidatur. Si uerò etiam labor iſte ſit infructuoſus; uolumus per Conſilium minus modo, quem paulò ante formauimus, omnem hanc indignam, & maximè uitandam controuerſiam præcidi, ac dirimi.

## De modo tollendi controuerſias in duobus Collegiis ortas. Cap. XXIII.

EAdem ratione uolumus præcidi contentiones, quæ caſu oriri poſſent in terminandis his cauſis, & negotiis, quæ ſui natura ad duo Collegia ſimul iuncta pertinent.

## De legitimo numero Concilij maioris, & minoris. Cap. XXIIII.

VBI cogendum erit Conſilium maius, non intelligatur eſſe plenum, & legitimum, niſi, computatis Illuſtriſſimis Collegiis, impleat numerum tricentum. Conſilium uerò minus, nonniſi conuenerint octuaginta, ultra duo Collegia. Excipitur tamen à præ-



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. І. МЕЧНИКОВА

ſenti Sanctione caſus ille, quando Conſilium minus, pro eligendis his, qui in locum de mortuorum, uel abſentium ſubrogandi ſunt, uocabitur; licebit enim tunc temporis, cum minori numero, & interuenientibus tantum his, qui poterunt conuenire, Conſilium minus legitimè congregare: modo adſint duo Collegia.

## De qualitatibus in Duce requiſitis.

### Cap. XXV.

SVprema eſt in Republica Genuenſi Ducatus dignitas; proinde conuenit eum, qui ad tantæ dignitatis culmen euehendus eſt, uti auctoritate omnibus præſtat, ità animo, uirtute, conſilio, ac rerum omnium experientia, pollere; ut dignitati, & auctoritati, quàm præ ſe fert, uirtutes animi egregiè reſpondeant. Sancimus igitur neminem ad id muneris aſſumendum, niſi ita cum Nobilitate ſplendorem animi coniunxerit, ut à quacunque arte Nobili uiro interdicta per quindecim annos omnino abſtinuerit, de legitimo matrimonio, Ciuitatisq; habitatorem, maioremq; annis quinquaginta eſſe opportet. In publicis uerò Cōciliis, uel Magiſtratibus, aut Legationibus, Reipubliceq; administratione ita uerſatum eſſe cupimus, ut tanti ponderis molem feliciter ferre ualeat. ita lautum ei ſit patrimonium, quo tanti muneris auctoritatem, & dignitatem, commodè ſuſtinere poſſit.

## De forma ſeruanda in electione Ducis.

### Cap. XXVI.

QVò ſublimius eſt Ducalis dignitatis culmen, eò optatius etiam, ac magis ambitioſum uidetur.



Proinde exiſtimauimus rectæ adminiſtrationi maximè conuenire, ſi perplexa quadā electionis ratione, immoderatæ hominum cupiditati, quantum fieri poſſit, in hoc commitiorum genere occurramus, curemusq; quantum fas eſt, ut Ciuium uota libera ſint. Vbi igitur de eligendo Duce agendum erit, conueniet Conſilium maius; ibiq; allatis decem pillulis auratis, quæ diuerſis litterarum notis inſcriptæ ſint, ita ut una cum altera nullo modo conueniat, ſorte educatur ex urna, in qua prius recondantur, una ex pillulis, cuius nota, ſeu inſcriptio nemini, niſi Conſeruatoribus Legum pandatur. mox iuxta Principis ſugeſtum ſtatuatur urna, in qua quinquaginta globuli aurati condantur, qui eam litterarum notam inſcriptam habeant, quæ paulò ante ſorte educta fuit. his addantur tot globuli argentei, nulla litterarum nota inſcripti, qui, iunctis quinquaginta auratis, Conſiliariorum numerum æquent: quiq; auratis & magnitudine, & pondere, & forma, & materia ſint omnino ſimiles, ſeduloq; commiſceantur. Ex his unusquisque Conſiliarius, demptis tamen duobus Collegiis, unū ſorte, & ſine fraude educet. Is, cui auratus obuenerit, confeſtim Cenſoribus, qui urnæ aſſident, conſpiciendum, & recognoſcendum tradet; mox occultè nomen alicuius ciuis, quem tanto munere dignum iudicauerit, ex toto Nobilitatis corpore, & iis qualitatibus, quas requiſiuimus præditum, conſcribet in chartula; deinde è comitio exibit; ita ut nec uota ambire, nec cum aliquo colloquia miſcere poſſit. Eductis omnibus auratis pillulis, Illuſtriſſima Collegia nomina omnium, qui in chartulis deſcripti fuerint, legent, & in numerum redigent. quòd ſi nominati ad uicenarium numerum non aſcenderint, eorum nomina, quibus aurata ſors cecidit, in urnam coniiciantur,

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. І. МЕЧНИКОВА

& iterum extrahantur;ut repetita per eos nuncupatione, numerus ille uicenarius impleatur; quē ita terminauimus, ut nō minor ſit uiginti:ultra autē eſſe poſſit uſque ad quinquaginta. Horū nomina quotquot fuerint, uocatis etiā illis quinquaginta, quos nuncupatores auratos diximus, per Concilium maius diſcutientur; quindecim uerò ex his, qui plura retulerint uota, intelligantur ad Ducatum propoſiti. Horum autem quindecim nomina ad Concilium minus diſcutienda mittentur; & ſex, qui maiorem ſuffragiorum partē, quæ tamen minor nō ſit, quàm tres ex quinq;, retulerint, iterum ad poſtremam Cōcilij maioris diſcuſſionem remittentur. Ex his unus, qui in uotis hominum præualuerit, pro Duce renuntiabitur. Quòd ſi uota paria fuerint, iterum ferenda erunt ſuffragia; ſi uerò eadem paritate contendatur, tunc, ſorte prius è Concilio eiectis quinq;, & repetita uotorum collectione, omnino tolletur paritas.

## De Pyxide. Cap. XXVII.

VT liberiora ſint uniuſcuiuſque uota, liceatq; cuilibet in ſuffragiorum collectione ex animi ſui uoluntate, & prout conſcientiæ ſuæ ſtimulus, uel ratio ſuggeret, uotum, aut nigrum, aut album dare, abſque eo quod timeat, ne aſſidens aut uicinus, cui fortè promiſſa fuit ſuffragij gratia, cognoſcat pollicitationem nō eſſe obſeruatam; uoluimus formari nouum pyxidis genus, qua cum in futurum ſuffragia danda eſſe decernimus: & non alio modo, aut forma. Erunt igitur gemine pyxides, ſeu urnulæ ſimul iunctæ, & undequaquæ clauſæ; diuerſis coloribus ita diſtinctæ, ut una earum affirmatiuam: altera uerò negatiuam de-



monſtret. quæ affirmatiuam deſignat poſterior ſit; quæ verò negatiuam prior. in hac adſit ita latum foramen, ut immiſſam manum, & vſq; ad ingreſſum ſecundæ pyxidis tendentem, facile admittat. Qui fauorabile votum ferre intendit, immiſſa manu in foramen, & in ſecundam vſque vrnulam extenſa, pillulam ſeu globulum dimittat in vas annexum, quod facile, obducta manu, diuelli, à ſuperiori pyxidis parte poterit. qui uerò contrarium uotum ferre voluerit, manum pariter vſq; in ſecundam vrnulam extendet; verùm pillulam, vel immitendo, vel retrahendo, in priorem urnulam, aut pyxidem, quæ negatiuam refert, dimittet. omnibuſq; uotis collectis, ſubductiſq; vaſibus geminis, quæ cōiunctæ pyxidi ſubſunt, videri facile poterit ex quantitate pillularum, quæ in nigrum, aut in album vas ceciderunt, quæ pars præualuerit.

Globuli, quorum vſus in hoc opere neceſſarius eſt, Lanei, aut Linei, aut Serici ſint oportet; ne cadentes, aut dimiſſi, ſtrepitu ſuo uicinis qualitatem uoti demonſtrent, ſintq; eiuſdem coloris; cùm non color eorum, ſed locus, ſeu vas, in quod immittuntur, voluntatem votum dantis denotet.

## De Habitu Ducis, & Magiſtratuum. Cap. XXVIII.

DVX, Gubernatores, Procuratores, ac Magiſtratus, quibus Iuſtitiæ Ciuilis, & Criminalis adminiſtratio commiſſa eſt (quòd maximè ad Magiſtratus dignitatem pertinere videtur) togati incedant, iuxta formam ex antiquis Legibus præſcriptam.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені МЕЧНИКОВА

## De Sindicatu Ducis, Gubernatorum, & Procuratorum. Cap. XXIX.

NIhil eſt, quod optimos quosq; uiros in fide, & officio facilius contineat, quàm uirtutis amor, gloriæq; & honoris præmium: malos uerò, timor Legum, & pœnarum. Propterea optimo iure conſtitutum eſt, ut Magiſtratus omnes, finito eorum munere, Sindicatui ſubiiciantur; ut, mali debitas pœnas ſubeundo, aliis ſint exemplo: qui uerò laudabiliter, & fideliter ſe geſſerint, debito commendationis, & laudationis præmio non defraudentur. Quare laudabilem morem Reipublicæ approbamus; ut non modo Gubernatores, & Procuratores, uerùm Dux ipſe, finito munere, Supremorum inquiſitioni, & notioni ſubſint. qui tamen non niſi reſpectu eorum, quæ ab uno quoque eorum in Magiſtratu commiſſa ſunt eos inquirere, aut coercere poſſint. ratione uerò eorum, quæ per Collegium Gubernatorum, aut Procuratorum, aut per ambo Collegia ſimul iuncta fuerint contra Leges, decreta, aut ordinata, æquum non eſt eos ſingulariter teneri. Licebit tamen Supremis, ubi aliquid tale commiſſum cognouerint, Conſilium minus uocare; quod, audita cauſa, quod iuſtum, & conueniens fuerit frequentioribus uotis decernet. A ſententiis per Supremos ferendis in cauſis Sindicatuum, ubi de priuatione uitæ, honoris, aut inhabilitatione ad Magiſtratus agatur, appellari poſſit ad Conſilium minus; huiusq; iudicij inſtantia ſexaginta dies non excedet.





## De Gubernatoribus, & qualitatibus, quæ in eis requiruntur. Cap. XXX.

QVI ad Reipublicæ gubernacula ſunt promouendi, eos non modo claritate Nobilitatis ſplendere decet, uerùm etiam prudentia, rerum experientia, ac fide præditos eſſe. Proinde ſancimus ad hoc munus eligendum, & Nobilem eſſe; ac Ciuitatis habitatorē; & ab artibus, quæ Nobilibus interdictæ ſunt, per decennium abſtinuiſſe. adhæc annorum ſit ultra quadraginta; conueniens dignitati habeat patrimoniū; & ubi decoxerit, non admittatur, niſi prius integrè ſuis creditoribus ſatisfecerit. in Conſiliis autem, & aliis Reipublicæ muneribus ita ſe geſſerit oportet, ut apud omnes non mediocrem ſui ſpem, & opinionem concitauerit. Vnus tantum ex eadem familia in eo Gubernatorum ordine exiſtat, ut ſupra.

## De qualitatibus, quæ in Procuratoribus requiruntur. Cap. XXXI.

QVas in Magnificis Gubernatoribus qualitates requiſiuimus, easdem in Magnificis Procuratoribus neceſſarias eſſe decernimus.

## De Præfecto Generali Triremium, & de præfecto Triremis, & quæ in eis concurrere debent. Cap. XXXII.

GRaue eſt admodum pondus, quod fidei, & prudentiæ Præfecti Triremium committitur. Propterea



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

conuenit eum, qui huic muneri præficiendus eſt, Nobilem eſſe; ab omni arte Mechanica ſaltem per annos octo prorſus abſtinuiſſe; nec minorem annis triginta eſſe; Magiſtratumq; aliquem, aut Conſiliarij munus feliciter obiiſſe, aliis item qualitatibus, quas in Gubernatoribus requiſiuimus, nequaquam carere oportet. Triremis autem Præfectum, & Nobilē, & annorum uigintiquinque eſſe neceſſe eſt.

## De Gubernatore Corſicæ, & eius neceſſariis qualitatibus. Cap. XXXIII.

CORSICA Nobiliſſima eſt Genuenſis Dominij pars. Quare decet eum, qui ad moderandam eam Inſulam mittendus eſt, & Nobilem eſſe; & omnibus his qualitatibus præditum, quas in Gubernatoribus requiſiuimus.

## De Commiſſariis cum ſuprema auctoritate deputandis. Cap. XXXIIII.

COmmiſſarij in Dominio cum ſuprema auctoritate deputandi nonniſi Nobiles, & annorum ad minus quadraginta eligantur; ſed & qui Mechanicas artes per annos octo non exercuerint; & Conſiliarij munus, & alterius in Vrbe Magiſtratus perſonam ſuſtinuerint; ſciantq; maximè eis conuenire ut ſuprema auctorirate, quæ eorum prudentiæ commiſſa eſt, mature & conſulto utantur. Quòd ſi ſecus fecerint, ſciant ſe Sindicatoribus per Illuſtriſſimam Dominationem ex laudabili more deputandis, ultra alia inquiri, & coerceri ſolita, ſe barratariarum, concuſſionū,



extorſionum, uiolentiarum factarum exactam, & ſeueram rationem reddituros.

## De Oratoribus, & Legatis ordinariis. Cap. XXXV.

ORatores, & Legati, qui per Illuſtriſſimam Dominationem ad ſupremos Principes tranſmittuntur, ut ibi reſideant, non poſſint ultra triennium in ea Legatione eſſe, neque id temporis aliquo modo prorogandum eſt, niſi ex grauiſſimis cauſis, iudicio eorū, ad quos eorum electio pertinet: neq; id ultra annum fieri conceditur.

## De electione nonnullorum Magiſtratuum. Cap. XXXVI.

POſtquam iudicio duorum Collegiorum, & Conſilij minoris, concurrentibus tamen tribus partibus ex quinq, ſuffragiorum, nuncupati fuerint duo, aut ad plus quatuor ciues: pro unoquoque infraſcriptorum officiorum, qui qualitatibus requiſitis in his, qui ad minus Conſiliū promouendi ſunt, non careant; omnia eorum nomina ad Conſilium maius tranſmitti uolumus, ut iudicio ſuo, aptiorem unicuiq; muneri calculorum frequentia declaret.

### Quorum Officiorum nomina ſunt hæc:

Prætor Sauonæ.
Commiſſarius, aut Capitaneus Clauarienſis.
Commiſſarius, aut Capitaneus Spediæ.



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І.І. МЕЧНИКОВА

Commiſſarius, aut Capitaneus Sarzanenſis.
Gubernator Corſicæ.
Locumtenens ultramontanus, ſeu Capitaneus, aut Prætor Ayacenſis.
Commiſſarius Bonifacij.
Commiſſarius Caluæ.

Alia uerò munera, quæ per duo Collegia, & uiginti octo ciues cõferri ſolebant, in futurum per duo Collegia, & Conſilium minus, concurrentibus pluſquàm tribus ex quinque omnium ſuffragiorum, conferri uolumus. Quibus addere uoluimus eadem ratione cõferenda, Præfecturam Triremium; Legationes ad Principes deſtinandas extra Dominium; Præfecturas militum prætorianorum, qui Forum, & Prætoriũ, & Vrbem cuſtodiunt; Præfecturam Arcis Sauonæ, & Sinus Spediæ.

Cetera uerò Officia, quæ per Illuſtriſſimam Dominationem ſolam, aut per Illuſtriſſima duo Collegia tantum, aut per Collegium Procuratorum ſimpliciter conferri ſolebant (demptis tamen ſupra exceptis) eadem ratione in futurum conferenda eſſe cẽſemus.

## De præfectorum nonnullarum Arcium qualitatibus. Cap. XXXVII.

MAxima eſt habenda ratio Arcium, & munitorum locorum, quæ Reipublicæ propugnacula ſunt. Iccirco decernimus Arces infraſcriptas nullius fidei committendas eſſe, niſi Nobilium, qui annum excedant trigeſimum; & per annos octo aliquam artem Mechanicã non exercuerint; quique in Conſiliis uerſati quandoque fuerint; aliiſque uirtutibus præditi ſint, quæ ad obeundum tale munus neceſſariæ ſunt.



Arces omnes, & munitiora loca Illuſtriſſimæ Dominationi ſubiecta. his tantum exceptis, quæ, & quas non deſcriptis committendas, & committenda eſſe duximus.

## De Officiis conferendis in Ciues non deſcriptos. Cap. XXXVIII.

COnueniens eſt eorum etiam rationem habere, qui in libro Ciuilitatis deſcripti non ſunt; nam cùm & ipſi Reipublicæ onera ſubeant, & patiantur, æquũ eſt etiam eos Reipublicæ commodis, & fructibus perfrui, & gaudere. Sancimus itaque infraſcripta Officia, quàm primum uacauerit, in Ciues non deſcriptos, & non in alios, omnino conferenda eſſe. Ea tamen Lege adiecta, quòd ubi in aliquo eorum agatur de tractanda publica, uel aliena pecunia, non prius ad illud obeundum admittantur, quàm idoneam cautionem præſtiterint.

Omnia officia Scribarum, & Notariorum, tam eorum, qui à Secretis ſunt Illuſtriſsimæ Dominationis, quàm qui Collegio Procuratorum, Officio Sancti Georgij, Supremis, Prætori, Rotæ, tam ciuili, quàm criminali, omnibusq; Magiſtratibus, tàm in Ciuitate, quàm in Riparijs, in Inſula, & demum in vniuerſo Dominio aſsident.

Officia omnia Conſulum rationis.

Omnia officia receptorum pecuniarum, quos vulgus Capſerios appellat, tam apud Officium S. Georgij, quàm apud licitatores vectigalium, & omnium redditum publicorum.

Officium vnum inter Cenſores. inter Conſeruatores Sanitatis vnum. inter Præfectos annonæ vnum.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. І. МЕЧНИКОВА

## Præturas inſuper infraſcriptorum locorum.

| | |
|---|---|
| Tabiæ. | Vultabij. |
| Rapalli. | Coſtæ uadorum. |
| Caſtrinoui. | Varaginis. |
| Gauij. | Stellæ. |
| Framuræ. | Caſtilioni. |
| Montis rubei. | Rimazorij,& Manarolæ. |
| Vernatię,& Cornilię. | Portus ueneris. |
| Sigeſtri. | Coruariæ. |
| Trioriæ. | Carri,& Caſtelli. |
| Moneliæ. | Godani. |
| Vuadæ. | Arculæ. |
| Cerianæ. | Vezzani. |
| Recchi. | Præfecturas Arcis Lericenſis. |
| Petræ. | |
| Ceruij. | Arcis Sarzanellæ,& |
| Andoriæ. | Arcis Gauij. |

Et omnia alia officia iam dicta inferiora, quæ alias per Illuſtriſsima duo Collegia conferri ſolebant. His addere uoluimus infraſcripta alia officia, in quibus ciues etiam non deſcripti participare poterunt.

### Officia Vicariatus

| | |
|---|---|
| Sauonæ. | Spediæ,& |
| Clauari. | Baſtitæ in Corſica. |
| Nouarum. | |

Omnia autem ſupradicta officia, & quæque alia, quæ tam deſcriptis, quàm non deſcriptis conceduntur, gratis conferri mandamus. excepta tamen Gabella, quam Stagij uocant; cui nullum afferre præiudicium intendimus.



## De Scribis, ſeu Secretariis. Cap. XXXIX.

IVſtis rationibus moti, noluimus Officium Scribarũ, qui Excellentiſſimo Duci, ac Gubernatoribus à Secretis inſeruiunt, perpetuum eſſe: ſed quinquennij curriculo præſcribi debere; neq; prorogari poſſe ultra trieniũ, ſi ita è re ipſius Reipublicæ eſſe hi, quibus huius electionis auctoritas demandata eſt, concurrentibus duabus partibus ex tribus ſuffragiorũ, arbitrati fuerint. Horũ electio Excellentiſſimo Duci, duobus Collegiis, ac minori Conſilio credita eſt. qui ex omnium ciuium non deſcriptorũ numero uirtute, probitate, moribus, prudentia, continentia, ac fide inſignes, & huic muneri aptiores, quique ætatis ſuæ annum uigeſimum quintum expleuerint, eadem uotorum frequentia, quam in prorogatione requiſiuimus, ſeligent. Hoſce, ubi munus ſuum fideliter, & legaliter expleuerint, uolumus Nobilitate donare, quam ipſo iure, & facto ſtatim ac ab officio cũ commendatione dimiſsi fuerint, adipiſcentur; ut tam inſignis præmij, & gloriæ deſiderio uicti, ad bene de Republica merendum accendantur.

Horum, qui nunc in officio hoc ſeruiunt, cùm uirtus, fides, probitas omnibus ſatis perſpecta, & cognita ſit, munus quinquennio adhuc durabit: ſi ita hi, qui eligendi eos ius habent, arbitrati fuerint; ſine ſpe prorogationis. Lapſo autem tempore, uacabunt, & omnia acta, ſcripturas, literaſùe, quæ ad eorum munus pertinent, ſucceſſoribus ſuis in officio integrè conſignabunt. quas in publico Archiuio recondi, & diligentiſſimè conſeruari uolumus. Non intendimus tamen hac Lege tollere laudabilem morem ipſius Rei publicæ: quinimmo decernimus teneri eos ſingulo

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

anno ab Illuſtriſsima Dominatione litteras confirmatorias obtinere, in fidem, et teſtimoniū bene geſti muneris ſui. quas ſi impetrare non poterunt, à ſuo munere ceſſent. Non obſtantibus quibuſcunq; Decretis, Legibus, aut Statutis in contrarium exiſtentibus, ſi quæ ſunt.

## De Conſeruatoribus Pacis. Cap. XL.

POſtquam DEI Optimi Maximi beneficio, nouis Legibus promulgatis, & æquo animo receptis, ac inter Ciues ſincera, & inuiolabili pace ſancita, amplius de bello agendum non eſt, cùm maxime eius Magiſtratus iam ſublatus ſit; uiſum fuit conſtituere ordinem Ciuium, quos Conſeruatores Pacis appellamus. Horum præcipua cura erit, Matrimonia tractando, & ſtabiliendo, Ciuium animos, quoad fieri poterit, uincire, & coniungere. De ſimultatibus uerò, & rixis, quas indies inter Ciues oriri continget, ſedulò inquirent, eaſque, quàm citius fieri poterit, (ne morbus iſte in Republica adeo exitioſus, altius ſerpat) conciliatis hominum animis, tollere, & radicitus extirpare conabuntur. Contumaces, & eorum dicto non audientes ad Illuſtriſsimam Dominationē deferent, quæ, cauſa cognita, oportune prouidebit: nō retardato tamen curſu Iuſtitiæ. Pro horum electione, ex Illuſtriſſimis Collegiis tres ſorte eligentur, quorum ſinguli duos ad hoc munus idoneos nuncupabunt. Horum autem tres, qui frequentiori calculo recepti fuerint, Pacis Conſeruatores erunt. eorum munus biennale erit.

De Le-



## De Legum Conſeruatoribus, & Iuramento dando. Cap. XLI.

NIhil prodeſſet Leges compilaſſe, ac Rempublicam bene inſtituiſſe, niſi etiam prouideretur, quòd Sanctiones iſtæ ſuum ſortirentur effectum, ac executioni mitterentur. Hac ratione erigere voluimus ordinem duorum Ciuium grauiſsimorum, quos Legum Conſeruatores appellauimus. Horum præcipuum munus erit electionibus Ducis, ac Magiſtratuum omnium, & præcipue triginta Electorum, qui Conſilij maioris, & minoris creandi ius habent, & quibuſcunque electionibus aſsiſtere; curareq; quòd antequam ad id manus apponatur, Lex ſuper ea electione, de qua tunc agetur, condita, publicè alta, & intelligibili voce omnibus legatur; & ſolemnitas, & forma, quæ in eis comitijs ſeruanda eſt, non modo ad memoriam reducatur, verum omnino obſeruetur. Iuramentum Ciuibus his, quibus ius eligendi demandatum eſt, dari curabunt in manibus Illuſtriſsimi Ducis in forma infraſcripta. His, qui ad aliquod munus aſſumpti fuerint, aliud iuramentum in forma pariter infra deſcripta, antequam ad Magiſtratum accedant, dari curabunt. Fraudibus, quæ in comitijs quibuſcunque fient, & quæ præuideri per nos non potuerunt, occurrent. & ſi quem in fragrāti crimine deprehenderint, ad Illuſtriſsimum Ducem ſtatim deferent, qui eum vtriuſque voti impotem declarabit; prout nos tenore præſentium declaramus; & pro modo culpæ grauiori etiam pœna mulctabit. Biennale erit hoc munus. horumq; electio ad duo Collegia, & Conſilium minus pertinebit.



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

### Forma iuramenti eligere debentium.

IVro ego N. ad Sancta Dei Euangelia manibus corporaliter tactis ſcripturis, & in animam meam, me in electione, quam hodie facturus ſum de . . . . . . . . remoturum ab animo meo iram, amicitiam, amorẽ, odium, proficuum affectum ad quemcunque colorẽ, & factionem: Sed Deum tantũ ante oculos habiturũ; & huius Reipublicæ, & Libertatis noſtræ, publicæue quietis conſeruationem, daturumq; ſuffragium meũ illis tantum, qui mihi uirtute, prudentia, fide, & integritate præſtantiores uidebuntur. Ita me Deus Optimus Maximus adiuuet; & hæc Sancta Dei Euãgelia.

### Forma Iuramenti iam Electorum.

IVro ego N. ad Sancta Dei Euangelia, manibus corporaliter tactis ſcripturis, & in animam meam, me munus hoc mihi demandatum legaliter, & fideliter obiturum; & huius Republicæ Libertatẽ, publicamque quietem, quantum in me erit, curaturum, & defenſurum. Ita me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

### De electione Conſeruatorum Legum. Cap. XLII.

EReximus Officium, quod Conſeruatorum Legum appellatur; atque id ſumma cũ ratione. cùm, ſublatis Legibus, aut eis nequaquam obſeruatis, neceſſe ſit Rempublicam, uti anima carentem, omnino perire, ac ruere. Proinde uolumus per duo Collegia, & Conſilium minus medio menſe Ianuario, concurrentibus tribus partibus ex quinque ſuffragiorum, duos Ciues optimos eligi debere, qui in Rempublicam propenſo ſint animo, & qualitatibus, quas in Gubernatoribus requiſiuimus, non careant. Horum ita Electorum pietati, & prudentiæ per biennium Legũ conſeruationem: immo Reipublicæ ſalutem, & uitam eo, quo poſſumus, ſtudio, & ardore commendamus. Quòd ſi medio hoc tempore Conſeruatores iſti, aut alter eorũ deceſſerit, uel recedat, non rediturus breui, ſtatim mandamus ſuppleri numerum; ne Magiſtratus, adeo in Republica neceſſarius, aliquo tempore uacet. Pro hac prima uice eligimus in Conſeruatores Magnificos Dominos Lucam Iuſtinianum, & Nicolaum, alias Nicheroſum Pallauicinum.



### De uacationibus Magiſtratuum. Cap. XLIII.

NE Ciues hi, qui elato animo ſuapte natura ſunt, primariorum Magiſtratuum frequentia elatiores fiant, atque inde in tyrannidem declinent: quod maximè fugiendum eſt in Republica; Sancimus eum, qui Ducalis dignitatis munere ſemel functus fuerit, non poſſe iterum ad eiuſdẽ dignitatis culmen euehi: niſi prius lapſis quinque annis, à fine officij numerandis. Qui item ſemel Gubernator fuerit, non poſſe pariter, niſi lapſo quinquennio ut ſupra, iterum ad eundẽ Magiſtratum promoueri. Eum autem, qui Procurator ſemel electus fuerit, uacare debere ab eo munere per quadriennium. Qui uerò in altero Conſiliorum fuerit, per annum. Non prohibendum tamen exiſtimauimus quin Gubernator, aut Procurator, ubi omnibus qualitatibus, quas dignitas ſuprema expoſtulat, præditus ſit, in Ducem eligi poſſit. Ceteras



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

uerò uacationes, tam munerum, quàm familiarum, uti non neceſsarias, tollendas eſſe arbitramur.

## De Prouiſionibus; quæ fieri debent ſuprema auctoritate. Cap. XLIIII.

LIcet eo, quo poſſumus ſtudio, & feruore adminiſtrationem iuſtitiæ criminalis iuxta Legum, Statutorumque formam Prætori, & Rotæ ita commendauerimus, ut nemo poſsit nec cumulatiuè, nec priuatiuè eorum iuriſdionem impedire; Non ignoramus tamen quandoque non modo in Ciuitate, uerùm in Dominio euenire poſſe ſubitos quoſdam, & repentinos caſus, in quibus ſeruata, & non ſeruata forma iuris, & ſuprema auctoritate, ac regia manu prouidendum eſt; ne publica quies, ac pacificus Reipublicæ Status perditum eant, cùm uel Populus inſanit, uel ſeditioſi tumultuantur, uel perditorum, & flagitioſorum hominum turmæ uias publicas hoſtili more inuadunt, agroſq;, & ditionem Genuenſem depopulantur. Hiſce caſibus, & aliis huiuſmodi, quibus ad Illuſtriſſimam Dominationem pertinet auctoritate ſua omnia ſedare, Excellentiſſimus Dux, iunctis duobus Collegiis, uocatoq; Prætore, quatenus expediat, & Rota, ut auctoritati etiam conſilium iungatur, & nulla interpoſita mora, ſcelerum auctores debitis pœnis affici curabit. mox participes, & ſuſpectos detineri faciet; ueritatem criminis inquiret, ut pro modo culpæ quiſque debitas luat pœnas.

Quòd ſi aliqui Commiſſarii delegandi erunt, qui Prouinciam luſtrent, & facinora compeſcant, nonniſi hi, qui graues aliquos Magiſtratus geſſerunt, eligentur; ut ſuprema auctoritas grauiſſimis tantum uiris, & prudentibus committatur.



## De gratiis, & forma, in illis concedendis, obſeruanda. Cap. XLV.

IN concedendis gratiis delictorum, quarum auctoritas apud Illuſtriſſimum Ducem, ac duo Collegia reſidet, concurrentibus uotis duarum partium ex tribus, illud aduertendum duximus non licere, quòd abſque legitima partis offenſæ remiſsione in his caſibus, in quibus requiritur, aut, ea extincta, hæredis ſanguinis, & bonorum, Princeps ſuam exerceat clementiã. In caſibus uerò criminis læſæ Maieſtatis, & ſeditionum, in quibus Principem decet quaſi eſſe inexorabilem, non eſſe concedendam gratiam, niſi ex magna cauſa, & ob bonum publicum, & interuenientibus omnibus uotis, & utriuſque Collegij, ac minoris Cõſilij. In infraſcriptis uerò caſibus, qui grauiſſimi, & atroces ſunt, ſcilicet homicidij animo deliberato patrati, Parricidij; Aſſaſsinij; mandati ad occidendum, ſequuto tamen effectu homicidii in officialem; robariæ in ſtrata publica; fabricationis falſæ monetæ; raptus Monialium, aut mulierum honeſtarum, nonniſi interuenientibus duabus partibus ex tribus, & utriuſque Collegij, & minoris Conſilij litteras gratiæ, aut reſtitutionis eſſe concedendas.

## De Procuratoribus perpetuis Sindicandis. Cap. XLVI.

QVI cum honore, & commendatione Ducatus munus obierunt, in præcedentis dignitatis honorẽ, perpetui Procuratoris munere, antiquarum Legum beneficio, funguntur; id quod & nos laudamus. Verùm ne horũ animi ex perpetui officij auctoritate elatiores, quàm par eſt, fiãt, uoluimus eos ſingulo bien-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. І. МЕЧНИКОВА

nio Sindicatui ſupremorum, & aliorum quinque ex Conſilio minori tunc ſorte eligendorum, ſubiicere; qui diligenter eorum acta in officio, & adminiſtratione reuideant. Et ſi quid per eos contra Leges commiſſum fuiſſe compererint, debitis pœnis afficiant. Inſuper nolumus Procuratores perpetuos in electionibus Prætoris, Auditorum Rotæ criminalis, nec ciuilis, Aduocatiſue Fiſcalis aliquo modo uotum ſuum dare poſſe.

## De condendis Legibus. Cap. XLVII.

SI in aliquo maturè, & prudenter eſt agendum, aut grauiori cum conſilio: id in materia Legum condendarum agendum eſt; ſunt enim firmamentum, & baſis totius Reipublicæ; cùm ipſis uiuendum ſit: nec cōtra eas aliquo modo eundum. Et propterea uniuerſi Populi (ſi commode fieri poſſe) conſenſus requirendus eſſet, cùm uel de noua Lege condenda, uel de aliqua abroganda tractatur. Verùm conſulentes & utilitati, & neceſſitati; Sancimus nullo modo nouas Leges condi, quæ præſentibus, quibus nunc uiuitur, & quæ à nobis aut conditæ, & condendæ, aut approbatæ fuerunt, contrariæ ſint, neque iam conditas, ac cōdendas, & approbatas abrogari, aut corrigi, ſiue emendari, niſi, coactis prius Collegiis, maturè conſulatur; & ſi quatuor partes ex quinque non approbauerint, nihil actum cenſeatur: ubi uerò approbauerint, deferantur omnia ad Conſilium minus diſcutienda; cuius niſi quatuor ex quinque conſenſerint, nihil concluſum intelligatur: ubi uerò conſentiant, denuo omnia maturè Conſilij maioris conſultationi ſubiaceant; & niſi frequentiori eorum uoto approbetur, nihil pariter actum exiſtimetur.



Alias uerò Leges, quæ non contrariantur ut ſupra, nonniſi per duo Collegia, & Conſilium minus, concurrentibus duabus partibus ex tribus, fieri poſſe declaramus.

## De Pace, Bello, Fœdere, & adhærentia. Cap. XLVIII.

VBI maius periculum eſt, ibi cautius, & maturius eſſe aduertendū exiſtimauimus. Propterea quotieſcunque tractandum erit de Bello ineundo, uel de Pace, aut Tregua ſancienda, aut adhærentia ſtabilienda, ſiue fœdere cum aliquo Principe, aut Republica iciendo; aut ſi aliquid aliud ſimile, & graue, quod ſtatū Reipublicę tāgat, decernendū erit; nolumus aliquid ſanciri, aut executioni mitti, niſi prius maturè, & modo, ac ordine, quo infra, conſulatur. In primis igitur corām Illuſtriſsimis Collegiis id omne plenè trutinabitur; & niſi quatuor ex quinque partibus cōſenſerint, nihil actum intelligatur: Vbi uerò conueniant, conuocato Conſilio minori, idem proponatur, & diligenter diſcutiatur; & niſi quatuor ex quinque illud approbauerint, nihil concluſum, nec ſancitum intelligatur.

## De Pedagiis, Collectis, & Vectigalibus de nouo non imponendis, nec impoſitis tollendis, niſi ſeruata forma. Cap. XLIX.

NEmo eſt, qui non intelligat nouas Pedagiorum, Collectarum, Vectigaliumùe impoſitiones Populis eſſe admodum graues. Proinde mandamus nemi-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

ni licere in Republica Genuenſi de nouorũ onerum impoſitione decernere, niſi Conſilio maiori; quod Principem ipſum, & Rempublicam refert; neque id fieri poſſe uolumus, niſi prius Illuſtriſſima duo Collegia, & Conſilium minus maturè conſuluerint, ac, concurrentibus duabus partibus ex tribus, declarauerint non modo neceſsitatem ſubeſſe, uerùm etiam nullam neque meliorem, nec æqualiorem formam inueniri, qua opportunius Reipublicæ neceſsitati conſuli poſſit. Idem intelligatur ſancitum, ubi agendum erit de tollendis iam impoſitis.

## De Doctoribus, & Medicis. Cap. L.

DOctores, tam Legum, quàm Artium, & Medicinæ talari ueſte utantur; nec ſine ea incedant. Contrafacientes, priuilegiis, & immunitatibus ſuis biennio carebunt; Iureconſulti poſtulare, Medici uerò cũ Collegis ſuis de communium infirmorum cura conferre per triennium non poterunt, & in eorum Collegiis utriuſque uoti impotes erunt.

Hiſce, quòd maximo uſui ſunt in Republica, nec mediocre ei ornamentum afferunt, uolumus omnino obſeruari priuilegia, & immunitates, ſublatis fraudibus, ſi quæ ſunt.

Ratio eorum dignitatis poſtulat, & ita obſeruari uolumus, ut ab omnibus Magiſtratibus, excepto Illuſtriſſimo Duce, & Gubernatorum Collegio, ſedentes, & tecto capite & audiantur, & excipiantur. poſſintque ad omnes in Republica dignitates promoueri, etiam quòd Conſiliarij maioris, uel minoris munus, aut alios Magiſtratus nũquã obierint, Suprema excepta.

Collegium Iureconſultorum tenebitur in futurũ quot-





annis duos ſui ordinis ſumminiſtrare, qui pauperes, & miſerabiles perſonas tam in Foro ciuili, quàm criminali gratis, & pietatis ergò tueantur, & protegant.

Præterea Medicorum ordo duos ex Collegis ſuis ſingulo anno nuncupabit, qui gratis pauperibus, & miſerabilibus perſonis in medendo diligentem, & piam operam præſtent.

Hebræi à poſtulatione, & medela omnino abſtineant, & quicunque alij, qui Doctoratus diplomate caruerint.

## Procuratores, & Præfecti annonæ non participēt in commodis ſui muneri. Cap. LI.

QVò magis grauiora negotia fidei ſuæ cõmiſſa eſſe quis perſpicit, eò magis intelligere debet, ſibi elaborandum, ut fidei, quæ de eo concepta eſt, rerũ exitus egregiè reſpondeant. Id autem facile unuſquiſque conſequetur, ſi illud unum ante oculos habuerit. homini libero nihil Patria ipſa carius eſſe debere. Iccirco Procuratores tam perpetui, quàm temporales, quibus patrimonij, ac publicorum reddituum, qui nerui Principis dicuntur, cure demandata eſt, ſciant, ſibi maximè cauendum, ut mundas ab omni auaritiæ labe habeant manus, & (quod caput omnium eſt) ne in licitationibus, emptionibus, aut conductionibus publicorum reddituum aliquo modo directè, aut indirectè participent, neùe publica pecunia aliquo modo, nec etiam minima in parte, aut breuiſsimo tempore pro rei priuatæ commodis utantur, aut gaudeant. Præfecti item annonæ caueant, ne in cõparanda re frumentaria, aut in ea ad Vrbem

traducenda aliquid commodi priuatæ rei adſcribant, aut publicam hanc adminiſtrationem cum priuata aliquo modo cōmiſceant. Quòd ſi ſecus feciſſe cōpertum fuerit, ſciant ſe, uti indignos, inhabiles ad Magiſtratus factos eſſe, & pœna pecuniaria arbitrio Supremorum plectendos.

## Quòd dotes anteriores tempore præferantur Officio S. Georgij poſteriori. Cap. LII.

INtelleximus inoleuiſſe conſuetudinem in Ciuitate Genuæ, aut Lege aliqua, aut ritu firmatam, qua mulieres, quæ pro dotibus ſuis bona mariti obligata habent, ſi concurrant cum Officio S. Georgij etiam poſteriore creditore, ab earū tamen iuribus excluduntur; quod & iuri, & omni æquitati maximè aduerſatur. Huic igitur abuſui prouidere uolentes, publicæq; honeſtati, & utilitati conſulentes, ne mulieres indebitè indotatæ remaneant, edicimus, & hac præſenti Lege decernimus, quod ſi in futurum concurrat officium S. Georgij cum mulieribus dotem ſuam repetentibus, diſpoſitionem Iuris communis ſeruari debere; ſublatis quibuſcunque Legibus, Statutis, aut conſuetudinibus, etiam immemorabilibus in contrarium facientibus.

## De Seditioſis. Cap. LIII.

NIhil eſt, quod publicam quietem, quæ in Republica ſummopere conſeruanda eſt, facilius perturbare, ac ſubuertere poſſit, quam Seditioſorum prauæ, & iniquæ uoluntates, ac temerarij auſus. Ideo ſanci-



ſancitum eſt, quòd ſi quis aliquo modo in hoc crimen inciderit, ſi auctor ſceleris fuerit, bonorum publicatione mulctetur, & ulterius capite puniatur. quòd ſi non auctor: ſed complex fuerit, ultra iam dictā pœnam confiſcationis, perpetuò remiget. Contra hoc genus hominum adeo Reipublicæ exitioſum Iudices procedent non modo ad accuſationem partis, uerùm etiam ex officio. Accuſatores occulti tenebuntur, & quartam partem bonorum eius, qui accuſatus fuerit, & de hoc crimine legitimè damnatus, in præmium conſequenter.

## De Gladiatoribus, & Sicariis, quos Brauos vulgus appellat. Cap. LIIII.

NVllum eſt hominum genus, quod in Republica, aut alia Ciuitate rectè inſtituta, ſit adeo abominabile, quàm Gladiatores, & Sicarij, quos uulgus Brauos, ſeu Scauezzos appellat, qui iuuentutem omnem bene compoſitam ad ſeditiones, rixas, & digladiationes promouent, & excitant, ſubortas caſu contentiones fouent, & nutriunt; ut ab imprudentibus adoleſcentibus pecunias extorqueant. Hanc igitur peſtem ab hac Republica eradicare uolentes, mandamus hoc genus hominum ſtatim è Ciuitate eijciendum eſſe; ſub pœna Triremium triennalium.

## De Conuenticulis. Cap. LV.

COmpoſitis iā rebus, & ſtabilito quieto Statu Reipublicæ, nihil reliqui eſt, niſi eam intra cancellos, qui præſtituti ſunt, continere. Id autem, ut facilius fieri poſſit, dedimus opportunas Leges ac inſtituta,



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

quæ ſi obſeruentur (ut confidimus) ſperamus futurum, ut Reſpublica quotidie magis floreſcat, & augeatur. Ad maiorem uerò ſecuritatem, ſancimus per Illuſtriſsimam Dominationem prouidendum eſſe ut conuenticulæ, quæ, ſub imagine boni, aut priuatæ hylaritatis, iniquis conſiliis, ac perfidis tractatibus uiam aperuerint, omnino tollantur.

## Confirmatio Priuilegiorum, & immunitatem Illuſtriſs. Ioannis Andreæ Auriæ, prout hactenus obſeruata fuerunt. Cap. LVI.

DOnauit Andream Principem Auriam Ciuẽ ſuum optimum, ac de ea optimè meritum Reſpublica Genueñ. nonnullis immunitatibus, priuilegiis, & exemptionibus; memor tam inſignis, ac præclari ab eo beneficij accepti; utpotè qui Patriam, multis rebus præclarè geſtis inſignem: ſed alieno iugo ſuppoſitam, incredibili erga eam pietate ductus, abiecta prorſus ab animo omni ambitione, priſtinæ reſtituit libertati. Eius etiam indelendam ab animis hominũ memoriam, erecta Statua marmorea, ac publico lautæ domus dono Illuſtrauit. Hæc, & alia uirtutis, & gloriæ condigna præmia Ioanni Andræ Nepoti, & auitarum uirtutum, tam in conſeruanda Libertate Patriæ, & eius dignitate amplificanda, quàm in bellicæ, & naualis militiæ gloria hæredi, & uero ſucceſſori, prout hactenus obſeruata fuerunt, ac eius familiæ omnino obſeruari uolumus.

De



## De eligendis Magiſtratibus pro nunc per Illuſtriſsimos Miniſtros. Cap. LVII.

ANimaduertimus Magiſtratus, qui pro nunc moderandæ Reipublicæ Genuenſi præficiendi ſunt, nequaquam ſecundum modum, & formam in Legibus, quas nuper compilauimus præſcriptam, eligi poſſe, niſi prius iactis fundamentis, & conſtitutis ordinibus Magiſtratuũ, ex quibus ſucceſſores poſtmodum proſilire, atque inſurgere debent, iuxta ea, quæ per nos accuratè fuerunt ſancita; Neque expedire, aut decere, quòd ſecundum antiquarum Legum normã, quas in hac parte nunc abrogamus, atque abolemus, promoueantur. Minus etiam conuenire exiſtimauimus relinquendum hoc eſſe arbitrio Ciuium, qui ſine certa Lege inter ſe conflictantes, nouos poſſint in Ciuitate tumultus excitare, nondum integre veteribus extinctis. Proinde neceſſitati ipſi cedentes, & facultate, ac bailia nobis attributa, pro bono, iuſto, ac pacifico ipſius Reipublicæ regimine utentes, menti etiã Principũ noſtrorũ inhærentes, qui poſt maturã harũ omnium ſanctionũ noſtrarũ conſiderationem, & diſcuſſionẽ, & quibus de iure Italiæ, & totius Chriſtiani orbis pax, & quies commendata eſt, eam nobis litteris ſuis ampliſſimè declarauerunt; omniq; meliori modo uia, & forma, qua poſſumus, & nobis tributa eſt, Hac preſenti Lege inuiolubiliter obſeruanda ſancimus, & ſtatuimus, Magiſtratus maiores, videlicet Gubernatores, qui his noſtris Legibus ſupplendi ſunt Conſiliũ maius, & minus, adminiſtrationi criminalis iuſtitiæ præficiendos; necnon Magiſtratuũ Seminarium, quod noſtris Legibus erigendum eſſe du-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

ximus pro hac prima uice à nobis eligendos, & ſtatuendum eſſe; eoſque ita electos, & conſtitutũ ad Reipublicę regimen, & iuſtitiæ adminiſtrationem recipi, & admitti debere, & in ſuo officio manuteneri, donec integrè muneris ſui curſum peregerint, iuxta noſtrarum Sanctionum ſeriem, & tenorem. Ceteros uerò Magiſtratus, quos in futurum creari continget, nonniſi ſeruata ad unguem forma noſtrarum Conſtitutionum, eligi, aut creari poſſe decernimus.

## Electio Magiſtratuum, & Conſiliariorum, ac Seminarij. Cap. LVIII.

PRouidere igitur uolentes nouæ Magiſtratuum, & Conſiliorum electioni iuxta ea, quæ per nos ſancita fuerunt; Eligimus ex uniuerſo Nobilitatis ordine infraſcriptos, quos graues aptos, & de Republica benemeritos, reiectis prorſus ab animis noſtris omnibus aliis reſpectibus & cauſis, exiſtimauimus, eoſq; ſingulis Magiſtratibus ( debite referẽdo ) modo quo infra addiximus.

In primis pro Gubernatoribus tum ſubrogandis in locum cedentium, tum ſupplendis uſque ad numerum duodenarium iuxta per nos ordinata Magnificos Dominos videlicet.

Hectorem Fliſcum, uſque ad Medium Iunium anni præſentis.

Octauianum Saulium, uſque ad medium Decembrem anni 1577.

Franciſcum Spinulam quon. Baptiſtæ, quon. Antonij, uſque ad medium Decembrem 1577.

Silueſtrum Cattaneum, uſque ad medium Iunium anni 1577.



Ioannem Baptiſtam Pallauicinum quon. Damiani, uſque ad medium Decembrem 1676.

Bartholomeum Lomellinum, uſque ad Medium Decembrem anni 1577.

## Pro Procuratoribus uerò in locum cedentium Magnificos Dominos, uidelicet.

LVcam de Nigronibus, &
Hieronymum Caneuarium: ambos uſque ad medium Decembrem anni 1577.

## Pro Conſilio maiori Magnificos Dominos, videlicet:

FRanciſcum Saluaigum quõ. M. Ambroſii.
Octauianum Arquatam.
Ioannem Baptiſtam de Cauo.
Iulianum Saluaigum, q. Lucæ.
Paulum Saluaigum, q. Leonardi.
Petrum Vernatiam, q. Bernardi.
Andream de Eccleſia.
Stephanum Confortum.
Ioannem Marinum, q. Laurentij.
Iulianum Marinum Marroſellum.
Gregorium de Turri.
Vincentium Riparoliam, q. Petri.
Octauium Riparoliam Iuris Doctorem.
Hieronymum Marinum, q. Pauli.
Dominicum de Turri.
Nicolaum de Marco.

Franci-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Pelegrum de Palio.
Ioannem Panſanum Marinum.
Ioannem Antonium Marinum, q. Iacobi.
Stephanum Dauaniam.
Percíualem Cattaneum, q. Accellini.
Franciſcum Cattaneum, q. Stephani.
Simonem Oliuam.
Alexandrum Cattaneum, D. Silueſtri.
Cæſarem Cattaneum Veſcontis.
Ioannem Baptiſtam Zerbinum.
Hieronymum Cattaneum, q. Philippi.
Ambroſium Cattaueum, q. Baptiſtæ.
Dominicum Cattaneum, q. Baptiſtæ.
Franciſcum Zoalium.
Edoardum Cigalam.
Alexandrum Squarciaficum Cigalam.
Vincentium Bondinarium.
Alexandrum Cigalam, q. Nicolai.
Nicolaum Cigalam, q. Vincentij.
Octum Cazerium.
Vrbanum Fliſcum, D. Hectoris.
Laurentium Fliſcum, q. Hectoris.
Laurentium Fliſcum. q. Stephani.
Nicolaum Paxerium.
Ioannem Baptiſtam Ragium, q. Io. Baptiſtæ.
Raphaelem Ragium.
Ioannem Saluaigum, q. Benedicti.
Auguſtinum Saluaigum, q. Ambroſij.
Hieronymum Marinum, q. Franciſci.
Auguſtinum Marinum, q. Donaini.
Petrum Baptiſtam Cattaneum Iuris Doct.
Bartholomeum Lazaniam.
Gaſparem Oliuam.
Baptiſtam Bauam.

Franci-



Franciſcum Taliacarne Iuris Doct.
Antoniotum Cattaneum Stephani.
Stephanum Cigalam, q. Bartholomei.
Antonium de Brignolis.
Emanuelum Fliſcum, q. Petri.
Petrum Baptiſtam Fliſcum, q. Gregorij.
Damianum Fliſcum, q. Lucæ.
Marcum Antonium Rauaſchierium.
Federicum Fliſcum Laurentij.
Franciſcum Fliſcum D. Hectoris.
Benedictum Caneuarium.
Ioannem Stephanum Moronum.
Ioannem Maruffum.
Ioannem Baptiſtam Lercarium, q. Stephani.
Baptiſtam Buronum.
Baptiſtam Camillam.
Nicolaum Serram.
Iacobum Lercarium, q. Franciſci.
Iacobum de Saluo.
Benedictum Pernicem.
Auguſtinum Gurlerium.
Angelum Lercarium, q. Lucæ.
Nicolaum Lercarium, q. Franciſci.
Camillum Lercarium Camillam.
Octauianum de Albara.
Iacobum de Nigro, q. Ioannis.
Stephanum Paſquam.
Edoardum de Nigro Phyſicum.
Dominicum de Auria, q. Stephani.
Antonium Inuream.
Nicolaum de Auria, q. Reuerendiſs.
Silueſtrum Inuream.
Georgium de Auria, q. Melchioris.
Auguſtinum de Auria, q. Iacobi, q. Auguſtini.



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА

Ioannem Baptiſtam de Auria , q . Dominici .
Io . Hieronymum Lercarium , D . Io . Baptiſtę
Stephanum Buronum .
Hieronymum Gallum , q . Dominici
Nicolaum Lercarium , q . Franciſci .
Ioannem Franciſcum de Nigro , q. Benedicti
Nigronum de Nigro , q . Philippi.
Ambroſium Carmagnolam ,
Baptiſtam Groppalum ,
Lucam de Prato .
Philippum de Nigro , D . Ioannis .
Laurentium de Nigro , q . Nicolai .
Ioannem Franciſcum Paſquam .
Bernardum Caſtaneam .
Dominicum Grillum .
Franciſcum Vignolum .
Laurentium Nigronum , q . Petri .
Baptiſtam Nigronum, q. Baptiſtæ .
Paulum Viualdum, q. Antonij .
Hieronymum Axeretum .
Antonium Sophiam .
Chriſtophorum de Iudicibus Iur. Doct.
Iacobum Viualdum, q. Baptiſtæ.
Paulum Grimaldum , q. Auguſtini.
Vincentium Duratium .
Ioannem Baptiſtam Groppalum.
Gaſparem de Sancto Petro.
Nicolaum de Nigro, q. Pauli.
Angelum de Maiolo .
Silueſtrum Vſuſmaris .
Baptiſtam Maiolum .
Paulum Delphinum .
Raphaëlem Oliuam.
Auguſtinum de Iudicibus .



Herculem Caſtilionum .
Iacobum Robertum .
Alexandrum Rubeum.
Ioannem Baptiſtam Grimaldum, q. R.mi
Bartholomæum Ritium .
Auguſtinum Grimaldum, q. Io. Baptiſtæ.
Lucam Grimaldum, q. Franciſci .
Paulum Spinulam, q. Stephani ,
Philippum Spinulam, q. Ambroſij.
Benedictum Spinulam, q. Pauli.
Baptiſtam de Turri, q. Leonardi .
Danielem Spinulam, q. Nicolai .
Io. Baptiſtam Spinulam, q. Antonij .
Nicolaum Spinulam, q. Lucæ .
Iofredum Spinulam, M.ci Lucæ .
Nicolaum Spinulam, q. Steph. Iuris Doct.
Iacobum Spinulam , q . Federici .
Io. Baptiſtam Gentilem , q . Iacobi .
Raphaelem Odonum ,
Ioannem Odonum .
Ioannem Senaregam .
Io. Baptiſtam de Auria , D. Antonij.
Paganum de Auria .
Ioannem de Regibus .
Franciſcum Clauexanam Iur. Doctorem.
Clementem de Ruere .
Nicolaum de Auria, q. Io. Iacobi .
Marcum de Auria, q. Stephani .
Nicolaum de Auria, q. Iacobi, q. Petri.
Proſperum de Auria, D. Dominici .
Baptiſtam de Ricardis .
Marcum Fociam .
Franciſcum de Auria, q. Nicolai.
Baptiſtam Garbarinum .



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. І. МЕЧНИКОВА

Stephanum Gentilem, q. Conſtantini.
Bartholomæum Coronatum.
Georgium Gentilem, q. Conſtantini.
Stephanum Pinellum, q. Auguſtini.
Io. Franciſcum Balbum, q. Nicolai.
Michaelem Adurnum.
Paulum Adurnum.
Thobiam Pallauicinum.
Galeatium de Auria.
Caſtelinum de Auria.
Io. Philippum de Auria, q. Lambæ.
Hieronymum de Auria, D. Pauli.
Nicolaum Cornerium.
Hieronymum de Nuce.
Benedictum de Auria, q. Io. Baptiſtæ.
Adrianum de Auria.
Pelegrum de Auria, D. Ioannis.
Alaramum de Auria.
Ludouicum Interianum, q. Oberti.
Nicolanm Gambaruttam.
Baptiſtam Parriſolam.
Ambroſium Interianum, q. Bartholomæi.
Franciſcum Groſſum, q. Laurentij.
Siluestrum de Paſſalio.
Ioannem Antonium Baſſadone.
Lucam Siuori.
Franciſcum Pallauicinum, q. Babilani.
Felicem Pallauicinum.
Andream Centurionum, D. Benedicti.
Iacobum Seneſtrarium.
Iacobum Moneliam, q. Mag. Benedicti.
Io. Baptiſtam Salutium.
Hieronymum Lumellinum, q. Auguſtini.
Franciſcum Lumellinum, q. Baptiſtæ.



Ioannem Baptiſtam Seſterium.
Hieronymum de Clauaro, q. Lucæ.
Andream Pedralues.
Ioannem Lumellinum, q. Antonij.
Antonium Balianum.
Alexandrum Imperialem, q. Auguſtini.
Michaelem Portam.
Franciſcum Terrilem Phyſicum.
Nicolaum Balianum Iur. Doct.
Ioannem Baptiſtam Mercante.
Ioannem Iacobum Imperialem, q. Vincentij.
Baptiſtam de Terrili.
Nicolaum Sanguinetum Phyſicum.
Hieronymum Marinetum.
Io. Baptiſtam Ioardum, q. Benedicti.
Auguſtinum Lumellinum, q. Iacobi.
Angelum Lumellinum, q. Auguſtini.
Philippum Lumellinum, q. Franciſci.
Andream Picchenotum.
Lucam Iuſtinianum, q. Vincentij.
Petrum Ioſephum Iuſtinianum.
Hieronymum Iuſtinianum Roccataliatam.
Stephanum de Franchis, q. Nicolai.
Hieronymum de Franchis, q. Chriſtofori.
Auguſtinum Mulſinum.
Auguſtinum Garbarinum, q. Bartholomæi.
Dauidem Vaccarium Iur. Doct.
Baptiſtam de Ferrarijs, q. Galeoti.
Lucam de Fornarijs Iur. Doct.
Leonardum de Multedo.
Franciſcum Sauli, q. Dominici.
Philippum Sauli.
Antonium Gualterium.
Ioannem Grillum, D. Lucæ.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Paulum de Cattaneis.
Gottardum Biſcottum.
Petrum Cantellum.
Nicolaum Vignolum.
Ioannem Griffum.
Stephanum Doxium.
Alexandrum de Vultabio.
Io. Baptiſtam Nigronum, q. Petri.
Raphaelem Merellum Phyſicum
Io. Auguſtinum Airolum.
Iacobum Nigronum, q. Simonis.
Melchionem Nigronum, q. Siluagij.
Leonem Merellum.
Bernardum Bancherium.
Stephanum Viualdum, q. Franciſci.
Iulianum Benigaſsium.
Lazarum Viualdum, q. Hieronymi.
Antonium Viualdum, D. Pauli.
Antonium Cebam Grimaldum, q. Bernardi.
Bartholomæum Feretum.
Hieronymum Mulaſanam.
Anfreonum Cebam Grimaldum.
Hieronymum Zinum.
Angellum Ritium, q. Petri Pauli.
Io. Franciſcum Grimaldum, D. Baptiſtæ.
Auguſtinum Grimaldum.
Andream de Ferrarijs.
Auguſtinum Cebam Grimaldum, q. Antonij.
Laurentium Buzalinum.
Gerardum Cebam Grimaldum.
Ioannem Baptiſtam Petrarugiam.
Hieronymum Grimaldum, D. Luçe.
Ioannem de Ferrarijs, q. Blaxij.
Lazarum Grimaldum, q. Auguſtini Iur. Doct.



Gregorium Spinulam, q. Io. Franciſci.
Laurentium de Ferrarijs.
Dominicum Spinulam, q. Iacobi.
Gaſparem Franſonum.
Andream de Benedictis.
Paulum de Benedictis.
Ambroſium Spinulam, q. Franciſci.
Auguſtinum Pinelum.
Ioannem Auguſtinum de Rauiolis.
Iulianum Spinulam, q. Accelini.
Ioãnem Baptiſtam Spinulam, q. Stephani.
Io. Auguſtinum Iuſtinianum, q. Nicolai.
Dioniſium Spinulam, q. Hieronymi.
Thadeum Spinulam, q. Iacobi.
Ludouicum Spinulam, q. Franciſci.
Franciſcum Murchium.
Hieronymum Spinullam, q. Philippi.
Laurentium Spinulam, q. Quilici.
Antonium Argiroffum.
Stephanum Spinulam, q. Pauli.
Ambroſium de Eccleſia.
Matthæum de Ponte.
Dominicum Spinulam, q. Stephani.
Io. Baptiſtam Spinulam, q. Bernardi.
Antonium Roccataliatam, Hieronymi.
Paulum Spinulam, q. Gregorij.
Vrbanum Cauaturtam.
Stephanum Spinulam, q. Ambroſij,
Hieronymum Spinulam, q. Gregorij.
Pelegrum Rebuffum.
Io. Dominicum de Nouis Iur. Doct.
Thomam de Turi.
Nicolaum Pariſolam.
Carolum Spinulam, q. Pauli.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені МЕЧНИКОВА

Cattaneum Spinulam, q. Simonis Iur. Doct.
Io. Baptiſtam de Blaxia.
Lucam Spinulam, q. Iacobi Mariæ.
Io. Paulum Iuſtinianum.
Hectorem Spinulam, q. Auguſtini.
Sebaſtianum Spinulam, q. Gregorij.
Petrum Baptiſtam Cauanam, D. Io. Mariæ.
Obertum Spinulam, q. Franciſci.
Hieronymum Spinulam, q. Gregorij Iur. Doct.
Franciſcum de Luciano.
Francum Spinulam, q. Gaſparis.
Io. Baptiſtam Caluum.
Oratium Spinulam, q. Io. Mariæ.
Simonem de Iugo.
Ioannem Mariam Spinulam, D. Lucæ.
Conradum Spinulam, q. Panthaleonis.
Gregorium de Monterubeo.
Antonium Bonam.
Philippum Iuſſanum.
Antonium Mariam Spinulam, q. Iacobi.
Lazarum Spinulam, q. Ioannis Mariæ.
Paulum Baptiſtam Spinulam, q. Simonis.
Vincentium Carpeninum.
Damianum Spinulam Iur. Doct.
Bernardum Peliſonum.
Ioannem Franciſcum de Franciſcis.
Marcum Gentilem, q. Iacobi.
Nicolaum Gentilem, q. Ambroſij.
Dominicum Gentilem, q. Io. Baptiſtæ.
Paulum Gentilem, q. Gaſparis.
Io. Andream Coſtapelegrinam. Iur. Doct.
Panthaleonem Gentilem, q. Simonis.
Thomam Gentilem, q. Benedicti.
Baptiſtam de Canali.

Vincen-



Vincentium Adurnum.
Demetrium Pinellum.
Io. Andream Pinelum, D. Io. Pauli.
Raphaelem Pallauicinum, Marci Antonij.
Nicolaum Pallauicinum, q. Io. Franciſci
Benedictum Siuorium.
Gotardum Coronatum.
Innocentium Pallauicinum, q. Nicolai.
Andream Pallauicinum, q. Ludouici.
Iacobum Mariam Pallauicinum.
Carolum Palauicinum, q. Vincentij.
Benedictum Rotulum.
Auguſtinum Pallauicinum, q. Philippi.
Laurentium Capellonum.
Bartholomæum Caluum Hieronymi.
Auguſtinum Seneſtrarium, D. Iacobi.
Andream Centurionum, q. Dominici.
Laurentium Piccalugam.
Barnabam de Illice.
Sebaſtianum Centurionum, q. Iacobi.
Manfreonum Centurionum.
Benedictum Centurionum, q. Luciani.
Federicum Centurionum, q. Pauli.
Thomam de Calanis Phyſicum.
Stephanum Centurionum, q. Dominici.
Auguſtinum Centurionum, q. Iacobi.
Auguſtinum Centurionum, D. Hieronymi.
Ioãnem Baptiſtam Fatinanti, Illuſtriſsimi.
Ioannem Centurionum, q. Franciſci.
Leonardum Lumellinum, q. Hieronymi.
Auguſtinum Lumellinum, q. Philippi.
Iacobum de Alegro.
Benedictum Lumellinum, q. Io. Baptiſtæ.
Andream Lumellinum, q. Panthaleonis.

I

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. І. МЕЧНИКОВА

Ioſephum Stratam.
Nicolaum Lumellinum, q. Io. Baptiſtæ.
Io. Baptiſtam Lumellinum, q. Babilani.
Nicolaum Saulium, q. Antonij.
Vincentium de Plebe.
Io. Baptiſtam Lumellinum, q. Pãthaleonis.
Laurentium Saulium, D. Octauiani.
Benedictum Lumellinum, q. Germani.
Io. Baptiſtam Lumellinum, D. Benedicti.
Io. Baptiſtam Paſſanum, q. Bartholomæi.
Auguſtinum de Facio.
Ambroſium Lumellinum, q. Philippi.
Chriſtoforum Axeretum.
Ambroſium Lumellinum, D. Hieronymi.
Auguſtinum Lumellinum, q. Baptiſtæ.
Baptiſtam Spinulam, q. Hieronymi.
Benedictum Argiroffum.
Anſaldum Iuſtinianum Iur. Doct.
Baptiſtam Iuſtinianum, q. Vrbani.
Carolum Spinulam, q. Luciani.
Io. Paulum Iuſtinianum, q. Nicolai.
Auguſtinum Spinulam, q. Stephani.
Anſaldum Grimaldum, Io. Baptiſtæ.
Gaſparem de Franchis, q. Antonij.
Ioannem Iacobum Grimaldum, Pauli.
Balianum Fornarium.
Victalianum Fornarium.
Ioannem Spinulam, q. Nicolai.
Vincentium Fornarium, q. Io. Baptiſtæ.
Gaſparem de Fornarijs.
Ioannem Hieronymum de Bene.
Ioannem Baptiſtam Compianum.
Io. Baptiſtam Fornarium, q. Bartholomæi.
Vincentium Ritium, q. Io. Matthæi.



Chriſtophorum Spinulam, q. Georgij.
Baptiſtam Lumellinum, q. Baptiſtæ.
Bendinellum Saulium, q. Sebaſtiani.
Thomam Saulium, q. Iuliani.
Franciſcum Vnciam.
Ioſephum Stratam Phyſicum.
Bernardum de Sopranis.
Paulum Vincentium Lumellinum.
Iacobum Guiſum.
Iulianum Donatum.
Raphaelem Spinulam, q. Auguſtini.

Hi ſunt numero quadringenti.

Pro Conſilio minori Magnificos Dominos, videlicet.

Ioannem Saluaigum, q. Benedicti.
Auguſtinum Saluaigum, q. Ambroſij.
Hieronymum Marinum, q. Franciſci.
Auguſtinum Marinum, q. Donaini.
Petrum Baptiſtam Cattaneum Iur. Doct.
Bartholomæum Lazaniam.
Gaſparem Oliuam.
Baptiſtam Bauam.
Franciſcum Taliacarne Iur. Doct.
Antoniotum Cattaneum, D. Stephani.
Stephanum Cigalam, q. Bartholomæi.
Antonium de Brignolis.
Franciſcum Fliſcum, D. Hectoris.
Benedictum Caneuarium.
Ioannem Stephanum Moronum.
Ioannem Marruffum.



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

Io.Baptiſtam Lercarium, q.Stephani.
Baptiſtam Buronum.
Baptiſtam Camillam.
Nicolaum Serram.
Iacobum de Nigro, q. Ioannis.
Stephanum Paſquam.
Edoardum de Nigro Phyſicum.
Dominicum de Auria, q. Stephani.
Antonium Inuream.
Nicolaum de Auria, q. Reuereñ.
Silueſtrum Inuream.
Gregorium de Auria, q. Melchionis.
Auguſtinum de Auria, q. Iacobi, q. Aug.ni
Io.Baptiſtam de Auria, q. Dominici.
Bernardum Caſtaneam.
Dominicum Grillum.
Franciſcum Vignolum.
Laurentium Nigronum, q. Petri.
Baptiſtam Nigronum, q. Baptiſtæ.
Paulum Viualdum, q. Antonij.
Hieronymum Axeretum.
Antonium Sophiam.
Chriſtophorum de Iudicibus.
Iacobum Viualdum, q. Baptiſtæ.
Paulum Grimaldum, q. Auguſtini.
Vincentium Duratium.
Alexandrum Rubeum.
Io. Baptiſtam Grimaldum, q. R.mi
Bartholomæum Ritium.
Auguſtinum Grimaldum, q. Io. Baptiſtæ.
Lucam Grimaldum, q. Franciſci.
Paulum Spinulam, q. Stephani.
Philippum Spinulam, q. Ambroſij.
Benedictum Spinulam, q. Pauli.



Baptiſtam de Turri, q. Leonardi.
Danielem Spinulam, q. Nicolai.
Io. Baptiſtam Spinulam, q. Antonij.
Nicolaum Spinulam, q. Lucæ.
Iofredum Spinulam, Mag. Lucæ.
Nicolaum Spinulam, q.Stephani Iur.Doct.
Iacobum Spinulam, q. Federici.
Io. Baptiſtam Gentilem, q. Iacobi.
Raphaelem Odonum.
Ioannem Odonum.
Ioannem Senaregam.
Baptiſtam Garbarinum.
Stephanum Gentilem, q. Conſtantini.
Bartholomæum Coronatum.
Georgium Gentilem, q. Conſtantini.
Stephanum Pinellum, q. Auguſtini.
Io. Franciſcum Balbum, q. Nicolai.
Michaelem Adurnum.
Paulum Adurnum.
Thobiam Pallauicinum.
Io. Antonium Baſſadone.
Lucam Siuorium.
Franciſcum Pallauicinum, q. Babilani.
Felicem Pallauicinum.
Andream Centurionum, D. Benedicti.
Iacobum Seneſtrarium.
Io. Baptiſtam Salutium,
Hieronymum Lumellinum, q. Auguſtini.
Franciſcum Lumellinum, q. Baptiſtæ.
Io. Baptiſtam Seſterium.
Hieronymum de Clauaro, q. Lucæ.
Andream Pedralues.
Io. Lumellinum, q. Antonij.
Auguſtinum Lumellinum, q. Iacobi.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Angelum Lumellinum, q. Auguſtini.
Philippum Lumellinum, q. Franciſci.
Andream Picchenotum.
Lucam Iuſtinianum, q. Vincentij.
Petrum Ioſephum Iuſtinianum.
Hieronymum Iuſtinianum Roccataliatam.
Stephanum de Franchis, q. Nicolai.
Hieronymum de Franchis, q. Chriſtophori
Auguſtinum Mulſinum.
Auguſtinum Garbarinum, q. Bartholomei.
Dauid Vaccarium Iur. Doct.
Baptiſtam de Ferrariis, q. Galeotti.
Lucam de Fornariis Iur. Doct.
Leonardum de Multedo.
Franciſcum Saulium, q. Dominici.
Philippum Saulium.

Et hi ſunt numero Centum.

Seligimus inſuper Centum & uiginti Patres, uiros omni uirtutum genere cumulatos, & publicæ quietis ſtudioſos. Horum nomina in urnam, ſeu capſulam modo, & forma à nobis deſcripta coniici mandamus; ut primo quoq; tempore ſorte educti Reipublicæ ſeruiant, iuxta Legum noſtrarum formam.

Horum autem nomina ſunt hæc, uidelicet Magnificos Dominos.

Auguſtinum Saluaigum, q. Ambroſij.
Ioannem Saluaigum, q. Benedicti.
Bartholomæum Saluaigum, q. Benedicti.
Lucam Iuſtinianum, q. Vincentij.



Petrum Ioſephum Iuſtinianum.
Franciſcum Saulium, q. Dominici.
Philippum Saulium, q. Alexandri.
Petrum Baptiſtam Cattaneum.
Franciſcum Fliſcum, D. Hectoris.
Bendinellum Saulium, q. Sebaſtiani.
Laurentium Saulium, D. Octauiani.
Stephanum Cigalam.
Ioannem Auguſtinum Iuſtinianum.
Io. Paulum Iuſtinianum.
Cattaneum Marinum.
Auguſtinum Marinum.
Hieronymum de Franchis, q. Chriſtophori.
Stephanum de Franchis, q. Nicolai.
Hieronymũ de Franchis, q. Petri Baptiſtæ.
Iacobum Lercarium, q. Franciſci.
Franciſcum Lercarium, q. Nicolai.
Ambroſium de Nigro.
Franciſcum de Nigro, q. Bonifacij.
Balianum de Fornariis.
Vincentium de Fornariis, q. Io. Baptiſtæ.
Nicolaum de Auria, q. R.mi
Nicolaum de Auria, q. Mag. Iacobi.
Georgium de Auria, q. Melchionis.
Chriſtophorum de Fornariis.
Lucam de Fornariis Iur. Doct.
Nicolaum de Auria, q. Iacobi, q. Petri.
Dominicum de Auria, q. Stephani.
Paulum Adurnum, q. Baldaſaris.
Michaelem Adurnum.
Auguſtinum de Auria, q. Mag. Iacobi.
Vincentium Adurnum, q. Iuliani.
Paulum Baptiſtam Interianum.
Iacobum Seneſtrarium.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. МЕЧНИКОВА

Iacobum Viualdum, q. Baptiſtæ.
Dominicum Grillum.
Laurentium Nigronum, q. Petri.
Bendinellum Nigronum.
Vincentium Zoalium.
Stephanum Pinellum.
Raphaelem Odonum.
Ioannem Odonum, q. Ioannis.
Io. Baptiſtam Grimaldum, q. Reuerendiſs.
Bartholomæum Ritium, q. Stephani.
Antonium Grimaldum Cebam.
Auguſtinum Grimaldum, q. Io. Baptiſtæ.
Gaſparem Oliuam.
Lucam Grimaldum, q. Reuerendiſs.
Nicolaum Paxerium.
Dauid Vaccarium Iur. Doct.
Andream Picchenotum.
Paulum Spinulam, q. Stephani.
Nicolaum Spinulam, q. Stephani, Iur. Doct.
Benedictum Spinulam, q. Pauli.
Baptiſtam Garbarinum.
Auguſtinum Garbarinum, q. Bartholomæi.
Io. Baptiſtam Spinulam, q. Antonij.
Iofredum Spinulam.
Danielem Spinulam.
Franciſcum Zoalium.
Baptiſtam de Turri, q. Leonardi.
Petrum Benigaſſium.
Nicolaum Spinulam, q. Lucæ.
Iacobum Spinulam, q. Federici.
Io. Baptiſtam Gentilem, q. Iacobi.
Ambroſium Bondinarium.
Ioannem Marruffum.
Bartholomæum Lazaniam.

Nicolaum



Nicolaum Gentilem, q. Ambroſij.
Baptiſtam Bauam.
Franciſcum Pallauicinum, q. Babilani.
Thobiam Pallauicinum.
Franciſcum Taliacarne Iur. Doctorem.
Nicolaum Pallauicinum.
Antonium Inuream.
Io. Baptiſtam Ragium.
Baptiſtam Buronum.
Andream Centurionum, q. Dominici.
Federicum Centurionum, q. Iacobi.
Chriſtoforum Centurionum.
Andream Centurionum, D. Benedicti.
Franciſcum Inuream.
Silueſtrum Inuream.
Baptiſtam Monſiam.
Silueſtrum Paſſalium.
Franciſcum Lumelinum, q. Baptiſtæ.
Ioannem Lumelinum, q. Antonij.
Antonium Sophiam.
Paulum Vincentium Lumellinum.
Hieronymum Lumellinum, q. Auguſtini.
Marcum Rubeum, q. Alexandri.
Vincentium Duratium.
Hieronymum Clauarum, q. Lucę.
Benedictum Caneuarium.
Auguſtinum Lumellinum.
Marcum Moronum Iur. Doctorem.
Gregorium de Turi.
Iacobum de Saluo, q. Pelegri.
Nicolaum Serram D. Pauli.
Baptiſtam Camillam.
Silueſtrum Vſuſmaris.
Stephanum de Mari.



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

Alexandrum Imperialem, q. Auguſtini.
Benedictum Pernicem.
Ambroſium Carmagnolam.
Nicolaum Piccamilium.
Michaelem Portam.
Ioannem Griffum.
Iulianum Maroſellum.
Io. Baptiſtam Ceſterium.
Franciſcum Montebrunum.
Stephanum Squarciafiicum, q. Hylarij.
IacobumMoneliam, q. Benedicti.
Vincentium Coſtam.
Clementem de Reuere.
Bernardum de Sopranis.

## Hi ſunt numero Centum Viginti.

Hos autem, & quoſcunque alios Magiſtratus per nos electos volumus Reipublicæ ſubiectos eſſe, eiq; parere debere; ſeruata tamen forma Conſtitutionum noſtrarum, & non aliter.

Omiſimus autem nonnullos in hac noſtra electione ex propoſito æque bonos, aptos, & in Rempublicam propenſo animo, ac ſunt iam per nos nuncupati; vt electis cedentibus, hi quoque poſsint Reipublicæ inſeruire.

Eligimus inſuper infraſcriptos Iureconſultos, quorum uirtus, probitas, & literarum ſcientia nobis probata, & perſpecta eſt; qui triennio hoc proximo Rotæ criminalis, & Aduocati Fiſcalis munus obibunt; cum honoribus, auctoritate, ſalariis, & præeminentiis à nobis eiſdem, & ſucceſſoribus ſuis aſsignatis. Horum primus (cùm ſecundum ætatis gradū deſcripti ſint) primo anno Prætor erit; mox alij ſuo ordine curſum Præturæ implebunt.



## Hi ſunt Magnifici Iureconſulti.

Petrus Antonius Vicedominus.
Blaſius de Loſſo, &
Hieronymus de Gerardis.

## Pro Aduocato Fiſcali.

Mag.cus Paulus Albutius.

## De reſtitutione Spoliatorum.
## Cap. LIX.

NOn ignoramus in hiſce bellicis tumultibus, qui in hac Republica exarſerunt, multas hinc & inde interceſsiſſe, iure quodam belli, aut potius iniuria, direptiones, depopulationes, & deprædationes, quæ ſubditis, ac alijs non leuia incommoda attulerunt. Vt igitur, quantum fieri poteſt, ab animis hominum flebilis hæc memoria ſucceſſuum funeſtorum deleatur; Volumus omnia hinc, & inde occupata, direpta, aut deprædata tam in Dominio, quàm extra, tam in mari, quàm in terra, & ubiq; locorum tam ſubditis, quàm alijs omnino, & ceſſante prorſus omni exceptione reſtitui debere. Huius verò Decreti, & Legis executionem demandamus Prætori, qui, ſine ſtrepitu, & figura iudicij, ſolaq; facti ueritate inſpecta, prouideat ut ſtatim, remotaque omni appellatione ſpoliatis ablata reſtituantur.



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. І. МЕЧНИКОВА

## Declaratio conſeruationis Libertatis.

### Cap. LX.

INſuper ad maiorem potius Reipublicæ ſecuritatem, quàm quòd neceſſarium exiſtimemus, declaramus mentis noſtræ, Principumùe noſtrorum non fuiſſe, nec eſſe, quòd per harum Legum conditionem, aut quamcunque Magiſtratuũ electionem, aut alia quæcunque, quæ per nos facta ſint, aliquod cẽſeatur, nec ſit illatum præiudicium Libertati Reipublicæ Genuenſis; nec quòd ea in controuerſiã deducta ſit; quam Principes noſtri omnino illibatam, atque intactam, & conſeruatam eſſe uolunt.

## Abrogatio omnium Legum, quæ præſentibus contrariantur, & innouatio aliarum.

### Cap. LXI.

CVM opportunè prouiderimus tum Magiſtratuum electionibus, tum etiam nonnullis abuſibus, qui im perfectam admodum Reipublicæ inſtitutionem reddebant cenſuimus neceſſarium tollere omnia impedimenta, quæ harum Legum plenam, & integram executionem aut impedire, aut offuſcare potuiſſent. Quare pręſentium tenore Lege omnes antiquas, Decreta, Statuta, aut Conſuetudines etiam immemorabiles, quæ præſentibus noſtris aliquo modo contrariantur, etiam quòd de eis ſpecialis, & indiuidua mẽtio fienda eſſet, abrogamus, annullamus, & irritamus. his, quæ non contrariantur, ſiue Reipublicæ adminiſtrationem, ſiue iuſtititiam ciuilem reſpiciant, ſiue conuentiones cũ finitimis quibuſcunque initas, & huc uſq; obſeruatas, cõcernunt, innouatis, ac cõfirmatis.

ERE-



## ERECTIO ROTAE CRIMINALIS.

### Caput primum.

CVM nihil magis neceſſarium ſit pro conſeruanda quiete in Republica, quàm iuſtitiam fouere, & eam illa, qua decet auctoritate, omnibus æqualancè adminiſtrare. Proinde ſancimus in Vrbe Genuæ erigendum eſſe Tribunal trium Iureconſultorum exterorum; qui iudicio, auctoritate, integritate, & rerum experientia polleant; quiq; nulla cum Ciuibus Genuenſibus affinitate coniuncti ſint; Tribunalq; hoc Rotæ criminalis nomine appellari debere.

## De electione Rotæ criminalis, & Fiſcalis.

### Cap. II.

EOS, qui adminiſtrandæ iuſtitiæ præficiendi ſunt, conuenit, & integritate uitæ, & morum honeſtate, & litterarum ſcientia ceteris omnibus præcellere. Quare ubi de eligendis Rotæ Auditoribus agendum erit, curabit Illuſtriſsima Dominatio, vt ſuper uita, moribus, doctrina, & peritia non modo eorum, qui ad id muneris adſpirant, uerùm eorum etiam quos, uti idoneos, proponi contingent, ſecretæ informationes per duos ex Magnificis Gubernatoribus ſorte extrahendis aſſumantur; quibus omnibus fideliter coràm Senatu, Procuratoribus, & Conſilio minori relatis, nomina eorum, qui maiorem partem ſuffragiorum retulerint, in urnam ab Illuſtriſsimo Duce

НАУЧНА БИБЛИОТЕКА ОНУ im. I.I. МЕЧНИКОВА

cuſtodiendam, coniici mandamus; ut ſuo tempore Rotæ Auditores ex ea ſorte eliciantur, eiectis his, qui interim mortui fuerint. Quòd ita tempeſtiue fieri uolumus, ut ſorte educendi per trimeſtre, antequam ad munus accedant, præmoneantur. Idem ſeruari uolumus in electione Aduocati Fiſcalis.

## Diſtinctio Officiorum Rotæ, & electio Prætoris. Cap. III.

EX hoc Magiſtratu, qui triennium non excedet, ſingulo anno unus (inchoando à ſeniore) & poſt eum ſequentes, ſecundum ætatis gradum, in Prætorem electi intelligantur, anno tantum hoc munere functuri; ita ut finito triennio, ſinguli hoc munere anno fruentur. Præeritque Prætor aliis Rotæ Auditoribus durante officio, aliiſq; honoribus, commodis, & præeminentiis, quæ huic muneri adiectæ ſunt, perfruetur.

## De Salario Prætoris, & Auditorum Rotæ. Cap. IIII.

SAlarium hiſce Auditoribus Rotæ criminalis perſoluatur ſexcentorum aureorum annuorum, in ſingulo trimeſtri pro rata erogandum ex ærario publico; & hoc ultra habitationem, emolumenta, regalias, immunitates, exemptiones præſtari ſolitas, & conſuetas. Cùm uerò munere Prætoris fungentur, ultra ſexcentos ſcutos aureos, (ut dignitatem officij ſui tueri decentius poſsint) alios ducentos aureos, pro eo anno tantum, habeant.

De iu-



## De Iuſtitia fideliter adminiſtranda. Cap. V.

CVM autem maxime conueniens ſit, ut qui alios au ctoritate ſua in Officio, & fide continet, & coercet, ípſe aliis præſtantior ſit; ſciant Prætor, & Auditores ſibi maximè cauendum ne immundas habeant manus: ſed ſuis ſtipendiis, & legitimis honorariis contenti ſint. Ad hæc ſe æquales, & iuſtos omnibus præbeant; nullam penitus perſonarum acceptionem habeant: ſed omnibus, & contra omnes æqualancè iuſtitiam adminiſtrent. Quòd ſi ſecus factum fuerit, ultra quòd Deum Optimum Maximum occultorum ſcelerum grauiſsimum ultorem, & uindicem experientur, ſeuerè etiam in ſindicatu rationem reddent, in quo nulla habebitur ratio, quòd aut metus reuerentialis, aut maiorum iuſsiones interuenerint, aut impedimento fuerint.

## De Officio, & Salario Fiſcalis. Cap. VI.

ASſiſtat Rotæ criminali Fiſcalis unus Iureconſultus, quem & exterum, & uerſatum in cauſis criminalibus eſſe decet, & nulli Ciui Genueñ. affinitate coniunctum; ut libere, & ſincere munus ſuum obire ualeat. habeatque pro ſalario annuo ſcuta auri tricenta, in ſingulos quatuor menſes ex ęrario publico eroganda, ultra habitationem, & alia commoda, præeminentias, & immunitates per ſuos anteceſſore percipi ſolitas, & conſuetas. Durabit eius munus triennio. eligetur, & ſindicabitur non aliter ac Rotæ criminalis Auditores. Sciatque nihil magis muneri ſuo

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ імені І. І. МЕЧНИКОВА

conuenire, quàm proceſſum, & cauſarum celerem expeditionem inſtare, omniq; ſtudio, & diligentia curare, ut Rei debitas delictorum pœnas luant. Aduertet inſuper, & inuigilabit ne Fiſcus in multis, & condemnationibus pecuniarijs, aut bonorum confiſcationibus, quæ indies fiunt per Magiſtratus, damnum, aut illuſionem patiatur.

## De Militibus, ſiue Allabarderiis Prætoris. Cap. VII.

DEcet eos, qui adminiſtrandæ iuſtitiæ præſint, non modò auctoritate pollere, uerùm etiam, pro ea aduerſus temerariorum impetus, & auſus tuenda, ac conſeruāda, uiribus præſtare. Proinde habebit Prætor ſex Germanos milites Allabarderios nuncupatos, Illuſtriſsimæ Dominationis impenſis, & auctoritate ei ſubminiſtrandos, qui & domi ſuæ pro foribus reſideant, & eum egredientem continuo publicè, & reuerenter comitentur. Mandabit inſuper Illuſtriſſima Dominatio Præfecto cohortis Prætorianæ, ut pro defenſione, & fortiori auctoritate iuſtitiæ, ſubminiſtret Prætori eam militum manum, quam ipſe poſtulauerit, uſque ad centum, & ultra: ſi ita Illuſtriſſimæ Dominationi expedire uidebitur.

## De electione, & ſalario Baricelli, & Satellitum. Cap. VIII.

ELiget ſibi Prætor Baricellum unum practicum, & uirilem, cum octuaginta ſtrenuis Satellitibus, qui ei præſto ſint, eiuſque iuſſa diligenter, & fideliter obſeruent,

ſeruent,



ſeruent, & exequantur, nulla habita prorſus perſonarũ acceptione. Huic Illuſtriſsima Dominatio ſcuta quindecim, illis uerò ſcuta tria auri in ſingulos menſes ex publico ærario erogari mandabit: vltra regalias, & emolumenta per eos legitimè percipi ſolita, & conſueta. Caueat autem Prætor ne aliquid muneris, aut præmij, etiam ſponte oblati, capiat à Baricello per eum eligendo, occaſione huiuſmodi electionis.

## De Iuramento per Prætorem exigendo à Notarijs Rotæ criminalis. Cap. IX.

EXiget Prætor à Notarijs maleficiorum in principio muneris ſui iuramẽtum de dolo non committendo, ac fideliter, & legaliter exercendo munere, & quòd nemini prorſus, nec præce, nec pretio, nec amicorum, Principumùe rogationibus, aut iuſsis commoti, ſecreta proceſſuum pandent, nec pandi permittent, ante eorum publicationem, ſub pœna periurij, falſi, & infamiæ, & ulterius ſub pœna pecuniaria arbitrio Prætoris imponenda, & fiſco applicanda.

## Quòd Notarij, & alij Officiales Rotæ non excedant taxas ſuarum mercedum. Cap. X.

CVrabit omni ſtudio, & diligentia Prætor, ut tam Notarij, & Scribæ, quàm Nuntij, & Curſores, Baricelli, Satellites, Cuſtodes carcerum, & omnes alij in dicto Magiſtratu ſeruientes taxas mercedum ex



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. І. МЕЧНИКОВА

ordinibus vnicuique eorum præfixas obſeruent; neque aliquo pacto directè, aut indirectè excedant. Quòd ſi contingat aliquos palam, uel ſecreto à Clientulis, aut aliis eorum nominibus plus debito extorquere, aut indirectè, expeditiones differendo, uel moras ponendo in ſui muneris expletione, ita concutere litigatores, ut tædio affecti, maiorem, quàm par ſit, mercedem ſoluere cogantur. eos pro prima uice in quadruplum eius, quod ſibi per Statuta debetur, quoties deliquerint mulctet. In futurum uerò ita ſeuere, & grauiter plectat, iuxta facti qualitatem, ut ceteris ſint exemplo. Aduertet inſuper, & prouidebit ne aliquid penitus à pauperibus, aut à miſerabilibus perſonis accipiant: ſed Notarij omnia acta, & ſcripturas gratis conficiant, & expleant. Alij uerò munera ſua, nulla penitus petita, nec expectata mercede exequantur, ſed à Deo Optimo Maximo huius pij laboris cumulatam expectent.

## De Denuntiatoribus delictorum. Cap. XI.

EXpedit maximè, pro iuſtitia rectè, & diligenter adminiſtranda, adeſſe in Ciuitate Denuntiatores criminum. Ideo ſancitum eſt in unaquaque Parochia peruicinos ſingulo triennio eligi debere duos Officiales, qui teneantur omnia delicta, quæ in ſua Parochia committi continget, ea, quæ diurno tempore, ſaltem in die immediatè ſequenti, quæ uerò noctu, ſaltem intra biduum Prætori denuntiare; exprimendo delicti tempus, locum, delinquentes, offenſi nomen, & cognomen, & Teſtium, qui adfuerint, uel ſciuerint, aliaſque circunſtãtias omnes, quas de his ac-



ceperint. Qui omiſerit, uel minus fideliter denuntiauerit, ſubeat pœnam ducatorum decem auri, & ultra, arbitrio Prætoris pro modo culpæ, & negligentiæ; niſi cauſam attulerit, quare arbitratu Prætoris iure ueniat excuſandus. Non excuſentur tamen ex hoc Medici, & Chirurgi quin teneantur iuxta Statuti tertij diſpoſitionem Lib. primo Criminalium omnes ſaucios, ſeu percuſſos, quibus medebuntur, apud acta D. Prætoris defferre.

## De auctoritate, & iuriſdictione Rotæ Criminalis. Cap. XII.

APud hoc Tribunal reſideat omnis auctoritas, & iuriſdictio cauſſarum criminalium, reſpectu eorum delictorum, quæ in Ciuitate, & tribus Curiis Biſamnienſi, Porciferana, & Vulturenſi committentur, tam in procedendo, quàm in decidendo. Verùm reſpectu eorum, delictorum, quæ in uniuerſo Dominio, comprehenſa etiam Prouincia Corſicæ, fieri continget, ſinguli Prouinciarum, & locorum Prætores, & iuſdicentes (demptis tamen locis exemptis, & ſeparatis, ſi quæ ſunt) proceſſus legitimè inſtruent, & decident. Et ubi agatur de crimine, quod habeat pœnam mortis naturalis, mutilationis membri, & Triremium etiã temporalium, non prius manum ad deciſionem cauſæ admouebunt, quàm Rotæ fideliter, & adamuſsim ſtatum cauſæ, & proceſſus, cum eorum uoto, retulerint, ac reſponſum deciſiuum habuerint; quod ad unguem ſeruari, & exequi teneantur.



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

## De modo procedendi per Prætorem, & Rotam in delictis. Cap. XIII.

PRocedet Prætor Genuæ in omnibus delictis, non modo ad partis inſtantiam, ſiue accuſationem, uerùm etiam ex officio; & non ſolum per capturam, & inquiſitionem, ſed etiam præceptis pœnalibus: ubi ita aliis Rotæ Auditoribus conuenire uideatur, iuxta iuris, & Statutorum formam. Et ubi de crimine publico agi contingat, parte etiam non inſtante, teneatur ex officio procedere, ac omni ſtudio, & diligentia ueritatem criminis inquirere, cogendo etiam teſtes de delicto informatos omnibus iuris remediis, etiam per queſtiones, & tormenta ad ueritatem dicendam; & pro modo culpæ, & iuxta Statutorum, & Legum ſanctiones, Reos punire.

## Quòd iuriſdictio Rotæ non poſsit per aliquem impediri. Cap. XIIII.

NEmo poſſit cognitionem, & Iuriſdictionem D. Prætoris, & Auditorum Rotæ cumulatiuè, aut priuatiuè impedire, nec cauſarum, & proceſſuum criminalium curſum, nec earum deciſionem retardare, minimèue ſuſpendere; ſublatis etiam Statutis, & Decretis incipientibus. Liceat præterea prædictis Procuratoribus, & Incipieñ. Itẽ declarauerunt ad abundantem potius cautelam: quæ Magnificis Procuratoribus, & Illuſtiſsimæ Dominationi notionem criminalem hactenus dederunt; ceteriſque Legibus, aut Statutis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Curabit tamẽ Illuſtriſſima Dominatio, ut Prætor, & Auditores Rotæ iuſtitiam fideliter,

& ui-



& uiriliter exerceant. Excipitur tamen caſus criminis læſæ Maieſtatis, & ſeditionis, in quibus Illuſtriſſima Dominatio, quæ ex his criminibus de facili fabefactari poſſet, unum, uel duos Gubernatores, uel Procuratores deputare ualebit; qui cauſis huiuſmodi cum Prætore, & Rota ſimpliciter aſsiſtent, & curabunt, ut huiuſmodi proceſſus, ea, qua decet in tam grauibus delictis, diligentia perficiantur, & pro iuſtitia à Prætore, & Rota expediantur. Adiungendo etiam, ubi ita eis conueniens uideatur, duos ex Rotæ ciuilis Auditoribus.

## De Reis temerè in Carceribus non retinendis. Cap. XV.

NImis durum viſum fuit, eos, qui in carceres truduntur, relaxari non poſſe, niſi cauſſa, propter quam detenti fuerint, non modo cognita: ſed etiam deciſa ſit. Ideo rigorem Statuti xxvj. lib. primo Criminalium temperare volentes, ſancimus id remittendum eſſe arbitrio D. Prætoris, & Auditorum Rotæ, qui, ſecundum qualitatem facti, & perſonarum, necnon, & indiciorum, quibus vnuſquiſq; detentus grauabitur, quod iuſtum, & conueniens eis viſum fuerit, ſtatuent.

## Quòd in Sententijs per Rotam ferendis duo vota ſufficiant. Cap. XVI.

CVM voto aliorum Auditorum Rotę criminalis, Prętor cauſas expediat: duorumq; vota, reluctante etiam Prætore, vim habeant ſententiæ, tam in diffi-

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. І. МЕЧНИКОВА

nitiuis, quàm interlocutorijs.

## De Appellationibus reijciendis, & Sententiarum executione. Cap. XVII.

A Sententijs per Prætorem, & Rotam ferendis, ſiue diffinitiuæ ſint, ſiue interlocutoriæ; nec non à ſententijs per Prætores, & Magiſtratus vniuerſi Dominij Genuenſis in cauſſis criminalibus de voto Rotæ ferendis non liceat cuiquam prouocare, appellare, nec de nullitate dicere: ſed ipſæ prout latæ fuerint, executioni mittantur. Verùm vbi agatur de pœna mortis, aut mutilationis membri, ſi in Ciuitate, & diſtrictu agatur, per triduum; ſi in Inſula Corſicæ, per dies viginti; ſi uerò in alijs Ciuitatibus, & Terris Dominij, per quindecim dies ab executione ſuperſedeatur.

## De Litteris Principis ad nouas defenſiones. Cap. XVIII.

VSu ſæpe compertum eſt, multos ob paupertatem, nõnullos uerò inimicorum ſuorum malignitatem, aut etiam Iudicium iniuriam, timentes, cùm in Iudicium uocati eſſent, etiam quod innocentes forent, nõ fuiſſe auſos in Iudicio comparere, maluiſſeq; ſententiam in contumaciam pati, quàm euidens uitæ periculum ſubire. Horum indemnitati conſulentes, ſancimus hoſce in contumaciã bannitos, aut condẽnatos admitti poſſe ab Illuſtriſs. Dominatione ad nouas defenſiones: modo litteræ petantur intra biennium, eoq; caſu habenda erit relatio à Magnifico Prætore,



& intelligendum utrum ex præſumptionibus, & indicijs tantum: an uerò ex legittimis probationibus dãnati ſint; quo caſu nullo modo concedantur. Qui huiuſmodi litteras impetrauerint, teneantur intra decem dies immediatè ſequuturos ſe in carceribus publicis perſonaliter conſtituere; alias litteræ ſibi non ſuffragentur. Sciantque ſibi onus incumbere docendi de innocentia ſua, abſque eo, quòd Fiſcus aliquid probet. Quòd ſi intra annum ſe conſtituerint, & innocentiam ſuam demonſtrauerint; non modo à pena capitali, verùm etiam à multa pecuniaria, & bonorũ confiſcatione liberari ualebunt; ſi poſt annum, eo caſu à pœna corporali, & capitali tantum liberari poſſint.

## De Sindicatoribus Rotæ criminalis, & inſtantia Sindicatus. Cap. XIX.

FInito officio, ſtatim ſorte eligantur per Illuſtriſſimam Dominationem vnus ex ſupremis Sindicatoribus, duo de minori Conſilio, vnus Rotæ ciuilis Auditor, & vnus de Collegio Doctorum, & qui omnes, uel eorum filij lites non habuerint coràm Sindicandis. qui Prætorem, & Auditores, Fiſcalem, Notarios Baricellum, & familiam ſindicent, quærelas audiant, proceſſus inſtruant, libros criminales reuoldiant, diligenterq; aduertant, num aliquid dolo, iniuſtè, ſupinaùe negligentia actum ſit, quod iura Fiſci, aut tertij offendat; & omnibus perfectis, iuſtitiam faciant. Inſtantiaque ſindicatus quadraginta dies non excedat.

HAS: KNIHOVNA OHV im. I. I. MECHNIKOVA

## Quòd officium Auditorum Rotæ criminalis triennale ſit. Cap. XX.

QVI per triennium hoc Magiſtratu Rotę perfunctus fuerit, non poſsit confirmari, vel prorogari, nec ad idem officium aſſumi, niſi lapſo triennio integro, à die functionis ſui muneris.

## De Protectoribus pauperum carceratorum. Cap. XXI.

MAximè refert pauperum, & miſerabilium perſonarum, qui omnium ope deſtituti, aut in carceribus marceſcunt, aut à potentioribus oppreſsi iniuſtè, & longius fortaſſe, quàm par ſit, detinentur, & quandoque etiam iniuſtas pœnas ſubeunt, rationem habere. Proinde officium, quod Protectorum carcerum appellatur, à nobis erigendum eſſe cenſuimus. Conſtabit hic ordo ex duobus Ciuibus Chriſtiana pietate inſignibus, quos Illuſtriſsimus Dux, & Gubernatores eligent; ex duobus item Iureconſultis, quos Collegium ſingulo biennio nuncupabit; duobus item Cauſidicis, quos eorũ ordo peritiores ſingulis duobus annis huic muneri deputabit. Hi poſtquam electi erunt, nulla admiſſa excuſatione, onus impoſitum ſubibunt; carceres adibunt; notulam carceratorum, qui propter paupertatem defenſore indigent, habere curabunt; titulum, & cauſſam eorum detentionis à Notarijs, vel à Prætore, aut alijs Iudicibus intelligent; conuenient in domo ſenioris Iureconſulti, aut ubi eis opportunius uidebitur; de defenſione eorum diligenter, & accurate tractabunt; munera inter ſe partientur. Doctores, & Cauſidici in uidendis proceſ-



ſsibus, parandis legitimis defenſionibus, diſputandis cauſis incumbent. Ciues uerò frequentiores erunt in Prætorio, carceratos ſæpe inuiſent, & intelligent, utrum in aliquo à cuſtodibus carcerum, uel ab eo, qui alimenta ſubminiſtrat, grauentur; & ubi opus fuerit, omni ſtudio curabunt, ut ab offenſis opportunè eis fiant remiſsiones. Protectoribus (cùm opus adeo pium exerceant) Prætor, & Auditores tam ciuiles, quàm criminales facilem aditum, benignaſq; aures præbebunt. Notarij proceſſus, (ſi publicati fuerint,) promptè exhibebunt uidendos, & explebunt gratis; Acta, & eorum defenſiones eadem pietate gratis recipient: cumulatam mercedem à Deo expectaturi. Horum officium biennale erit. Sciant tamen, lapſo biennio, aſtrictos etiam fore pro hoc munere, ut ſucceſſores ſuos diligenter inſtruant. Doctoribus Illuſtriſsima Dominatio ſcuta quinquaginta pro ſingulo: Cauſidicis verò viginti quinque erogari mandabit; ut operam ſuam pauperibus gratis præſtent.

## De viſitatione Carceratorum. Cap. XXII.

HOrtamur inſuper Illuſtriſsimam Dominationem, quam huic pietati Chriſtianæ addictam eſſe confidimus, vt ſemel in menſe per duos ex Magnificis Gubernatoribus, uel Procuratoribus carceres viſitari curet; pauperum, & miſerabilium carceratorum cauſas intelligat; indeq; prouideat vt celeriter, & fauorabiliter, & prout opportunum eſſe iudicauerit, expediantur.



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

## De abrogatione Statutorum, quæ Libertati, Matrimonij, & immunitati eccleſiaſticæ aduerſantur. Cap. XXIII.

MAximè nefarium exiſtimantes Matrimonij libertatem uel uiolare, uel aliquo modo impedire; Cēſemus Statuta in Lib. Crimin. 2. cap. 7. & 93. quæ libertati Matrimoniorum non leuiter aduerſantur, abolenda, & irritanda eſſe prout per præſentem Sanctionem abolemus, & irritamus. Eadem auctoritate Statutum Lib. 2. crimin. cap. 71. §. ſi quis autem Sacris initiatus; tanquàm immunitati, & libertati eccleſiaſticæ, ac ſacris Canonibus contrarium, tollimus, & abrogamus.

## De abrogatione Legum, & Statutorum, quæ præmiſsis Legibus aduerſantur, & de innouatione aliarũ non obſtañ. Ca. XXIIII.

ALias uerò Leges, Statuta, & Decreta criminalia Ciuitatis Genueñ. uti & rationi, & iuri conſentanea, innouamus, eorumq; executionem D. Prætori, & Rotæ, ſedulò iniungimus. his, quæ præſentibus noſtris Conſtitutionibus, aut alicui earum aliquo modo aduerſantur, abolitis, & antiquatis.

QVAE ſuperius deſcriptæ ſunt Leges, Statuta, Decreta, Ordinationes, atq; Electiones, & paulò ante publicè recitatæ fuerunt, eas, & ea Nos Ioannes Cardinalis Moronus, Sacri Collegij Prior, Sanctæq; Sedis Apoſtolicæ de Latere Legatus. Petrus Faunus Coſtachiarius, Sacri Imperij Comes, & Princeps, Epi-



ſcopus Aquenſis, Cæſareusq; Orator, & Commiſſarius. Don Carolus à Borgia Gandiæ Dux, Et Don Ioannes de Idiaquez, Sacræ Catholicæ Maieſtatis Conſiliarius, & eiuſdem Orator apud Genuenſes, ambo Miniſtri Catholici Regis, DEO Optimo Maximo annuente, concordibus uotis, & nemine noſtrum penitus diſcrepante, facta prius per nos, & quemlibet noſtrum Principibus noſtris plena, & integra omnium relatione; & de eorum omnium communi, ac penitus concordi uoto, & mandato, pro reformatione Genuenſis Reipublicæ, ac eiuſdem bono, iuſto, quieto, & pacifico Statu condidimus, ac compilauimus. Et in fidem præmiſſorum manu propria ſubſcripſimus, & noſtris Sigillis ſigillari, & à Secretarijs noſtris ſubſcribi iuſsimus. Dat. Caſali Montisferrati, Die Sabbati, Decima Martij, Anno à Partu Virginis, MDLXXVI.

Ioannes Epiſcopus Oſtieñ. Cardinalis Moronus, Legatus è Latere, &c.

Petrus Faunus Coſtachiarius Epiſcopus Aqueñ. Orator, & Commiſſarius Cæſareus, &c.

Don Carolus à Borgia Gandiæ Dux, &c. &

Don Ioannes Idiaquez Orator, Miniſtri Catholici, &c.

COndidimus Legem, in qua decreuimus, Officia Scribarum, qui à Secretis ſunt Illuſtriſsimæ Dominationis, in futurum ſingulis Luſtris conferenda eſſe per duo Collegia, & Conſilium minus. Verùm uoluimus hos, qui nunc Reipublicæ ſeruiunt, in munere ſuo per Quinquennium perſeuerare debere: ſi ita hi,



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

quì eligendi eos ius habent, arbitrati fuerint; ſed inde dubitatum fuit, quòd ſtatim, acceptatis Legibus, nec accedente conſenſu & duorum Collegiorum, & Conſilij minoris, extincta eſſet horum facultas; id quod nos exiſtimauimus indubitatum eſſe, cùm nullo uerbo, aut ſenſu Legis caueatur, quòd hi debeant à munere uacare præſenti tempore: quinimmo decreta ſit certa, & expreſſa continuatio, & perſeuerantia officij uſque ad Quinquennium; nec eligere debentibus reſeruata ſit alia facultas, quàm arbitrandi, an perſeuerantia hæc debeat uſque ad Quinquennium currere: an minori tempore. Verùm ad maiorem declarationem, & ad tollendas etiam ſuperfluas dubitationes, edicimus mentis noſtræ non fuiſſe quòd horum, qui nunc ſeruiunt, munus extinctum eſſet, niſi & duo Collegia, & Conſilium minus contrarium fuerint arbitrati. Verùm id uoluiſſe, præſentes Scribas in ſuo munere perſeuerare debere uſque ad Quinquēnium: vbi ab Illuſtriſsima Dominatione habeant litteras confirmatorias, quas ſingulis annis impetrandas eſſe duximus: niſi & duo Collegia, & Conſilium minus quinquennalem hanc continuationem auctoritate ſua præciderint. Verùmtamen hoc præſenti anno litteras cōfirmatorias minus neceſſarias eſſe cenſemus: ſed munus Scribarum ſine aliqua difficultate durare; & ita obſeruari debere uolumus. In quorum fidem, &c. Dat. Caſali Montisferrati die 18. Martij 1576.

Ioannes Cardinalis Moronus Legatus Apoſtolicus, &c. Petrus Faunus Coſtachiarius Epiſcopus Aquēſis, Orator, & Cōmiſſarius Cæſareus. Don Carolus Borgia Gādię Dux. Et Dō Ioannes Idiaquez Orator, Miniſtri Catholici, &c.



DEdimus formam in Legibus noſtris, qua Officiales, & Magiſtratus in Republica Genuenſi in futurum eligi debeant; & omnium qualitates, quas in eligendorum perſonis deſiderauimus, ſuis in locis deſcripſimus; & Officiorum, quæ alias per duo Collegia, alioſq; uiginti octo conferebantur; nonnullis exceptis, eiſdem duobus Collegijs, unà cum minori Conſilio eligendi in futurum facultatem dedimus, & contulimus. Verùm quia de infraſcriptorum Officiorum, & Magiſtratuum electione diſtinctam mentionē non fecimus, cùm huiuſmodi Magiſtratus, & Officia in Ciuitate Genuæ exerceantur, & magnam auctoritatem, atque iuriſdictionem adminiſtrent. Nos, ne deinceps dubium aliquod oriri poſsit, hac noſtra præſenti Lege decernimus, & ſancimus electionem Officiorum, & Magiſtratuum Extraordinariorum, Corſicæ in Ciuitate Genuæ, Terræfirmæ, Patrum communis, Annonæ, Cenſorum ſiue Magiſtralium, & Monetæ de cætero ad duo Collegia, & Conſilium minus pertinere, cum eiſdem ſuffragijs, modis, & formis, quas in alijs ſimilibus eligēdis præſcripſimus, & deſiderauimus. Non obſtantibus quibuſcunque Legibus, Statutis, Decretis, Ordinationibus, uel Conſuetudine etiam immemorabili in contrarium facientibus. quibus omnibus expreſsè derogamus. Et nihilominus cetera per nos in Legibus noſtris ſancita, & præſertim circa præmiſſa, inuiolata, & intacta eſſe, & remanere decernimus, ſancimus, & cenſemus. In quorum fidem, &c. Dat. Caſali Montisferrati, Die xix. Martij Anni M D LXXVI.

In cap.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

### In cap. 2. de conſtitutione unici ordinis, & de reaſumendis naturalibus familiis ſuper illis uerbis & qui ab anno 1528. citra alicuius familiæ.

DEclaramus complecti omnes, & quoſcunque in libro ciuilitatis 28. familijs ſeu alberghis deſcriptos a prima die ſupra dicti anni 1528. & ita omnes, & ſingulos quoſcunque fuiſſe, & eſſe comprehenſos ut annum quoque ſupra dictum 1528. totum, & integrũ prorſus includamus nemine ex deſcriptis penitus excluſo ſi qui tamen ex aſcriptis uiginti octo familias ſeu albergos a prima die præfati anni de 1528. in preſens uſq; in eiſdem familijs remanere cognomenq; atque eiuſdem familiæ inſignia tunc ab eis aſſumpta retinere uoluerint id ea lege licere conceſsimus ſi & quattenus ipſius familiæ principalibus ſeu domorum capitibus quibus & retinendi, & aſciſendi liberum erit pro arbitrio Ius eoſdem retinere uel acceptare placuerit, & non aliter nec alio modo.

### In cap. 3. de declaratione artium mecanicarum.

DEclaramus ijs quos ſeaterios appellant licere intra edes proprias ſecrete, & non palam, & ut dicitur in ſuis uoltis ſe ſe ut moris eſt, & exercere illud enim eis interdiximus nec in ijs officinis quas appotechas uulgus appellat publicè ipſi reſideant.

In cap.



### In cap. 7. de compoſitione urnæ pro ſeminario ſuper illis uerbis medio menſe Iunij, & medio Decembris quorum &c.

DEclaramus uerba illa non ita intelligenda eſſe ut diem illam præciſe comprehendant ſed adeo large ut quatuor dierum terminus uel circa ante uel poſt medium menſem non officiat.

### In cap. 10. de magiſtratibus Ciuitatis ſuper illis uerbis ad duos magiſtratus ob eundos eodem tempore nemo admittatur.

DEclaramus ipſum intelligi debere de quibuſcunque officijs beneficialibus tam in ciuitate quàm extra, & quod ita electis liceat primum retinere uel alium acceptare eorum arbitrio.

### In cap. 11. de electione triginta electorum ſuper illis uerbis in fine Decembris cuiuslibet anni.

DEclaramus non intelligi debere preciſe de die ultimo meñ. ſed intelligenda eſſe etiam de decem uel duodecim diebus poſt medium menſis Decembris.

### In illis uerbis modo non ſit Pater, Filius, Frater, Socer, aut Gener nec à Ciuitate abſit.

DEclaramus quælibet ex centum patribus qui tunc electorum munus obeunt a uoto ſeu balotatione

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

prędicti dumtaxat ſibi ſanguinis uinculo coniunctorum abſtinere debere, & non in aliorum eligendorum electionem ſeu balotationem. Idemq; nedum electione triginta ellectorum tantum ſed in aliorum quoque magiſtratuum, & officiorum beneficialium electionibus declaramus.

In cap.12. de electione maioris conſilij in illis uerbis ibiq; ex uniuerſa ciuium nobilitate demptis abſentibus ijſq; qui tunc conſiliarij munus obeunt.

DEclaramus illos dumtaxat excluſos fuiſſe, & eſſe qui magiſtratum præmiſſum ſaltem per ſex menſiũ exercuerint.

In cap. 18. de ſubrogationibus.

DEclaramus ſubrogationis auctoritatem duobus collegijs, & minore conſilio attributam caſum mortis, & abſentiæ tantum comprehẽdere namq; in alijs cauſis priuatis duobus collegijs ſine minore conſilio ſubrogationes facere licet.

In cap.19. quot uota requirantur.

DEclaramus pro diſpenſatione inſtrumentorumſententiarum,& teſtamentorum in Senatu fienda ex 13. uotis 11. ad minus eſſe neceſſaria.

In cap.24. de legitimo numero,&c. in illis uerbis licebit enim tunc temporis cum minori numero.

Decla-



DEclaramus conſilium minus pro ſubrogationibus indecendẽtium, & abſentium locũ in utroque conſilio faciendis in minore numero de 80. tunc tantum congregari poſſe, & ſufficere cum id pro eorumdem mortuorum, & abſentiũ deffectu neceſsitas poſtulauerint.

In cap.29. de Sindicatu in illis uerbis licebit tamen ſupremis ubi aliquod tale comiſſum cognouerint conſilium minus uocare quod audita cauſa &c.

DEclaramus ſupremos ſindicatores in eodem conſilio a ſe ipſis conuocato cauſam proponere, & præſidere debere.

In cap.39. de officijs conferendis &c.

DEclaramus ciuibus non deſcriptis in libro ciuilitatis ab officia nominatim eis tantum, & ſeruata nullum pręiudicium fieri quominus habeant alia quoque omnia,& quęcũque officia quæ prius habere cõſueuerunt Imo ad officia infraſcripta,& ſi quę ſunt alia media inter ea quæ noſtrarum legum ſerie ad deſcriptos proprie pertinent ulla quæ non deſcriptis nominatim aſſignata ſunt una cum ciuibus deſcriptis non deſcriptos etiam ad ellectorum libitum uocari, & admitti indiferente poſſe declaramus. Nomina officiorum Capitaneatus Vintimilienſis, Capitaneatus Plebis, Vicariatus Portus Mauritij, P.Leuanti, P.Pulcifere, P. S. Remi, P.Vultur, P.Biſſannis, P.Nouarum, Maſſarij Baſtiæ, Locum tenentis Balanciæ, Locum tenentis Curtis Aleriæ.

Inſuper in illis uerbis gratis conferre mandamus decla-



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

ramus omnia, & quæcunque officia nullo excepto cõprehendi tam annua quam quæ ad uitam ſeu ad Illuſtriſsimæ Dominationis placitum quomodocunque conferruntur ſtagij Gabella excepta.

## In cap. 40. primo de legeñ. conſeruatoribus.

DEclaramus ob conſeruatorum legum uigilantium ſupremos ſindicatores non excludere ut ſimul cum ipſis diligenter inuigilent ut tam in ciuitate quam extra electiones, & alia quæcunque ſecundum legum diſpoſitione fient, & ſi quid contra factum fuerit minori conſilio quilibet horum magiſtratuum defferat ut quæ non ſeruata legum forma facta fuerit irrita, & nulla declarentur.

## In cap. 47. de condendis legibus.

DEclaramus legum interpretatione pro duo collegia ſine minoris conſilij interuentu, & auctoritate fieri non poſſe neque debere.

## In cap. 58. de electione magiſtratuum ſuper illis uerbis ad medium Giunium, & medium December.

DEclaramus diem præciſum intelligi non debere, ſed magiſtratibus licere in Pallatio per totum menſem reſidere, & à magiſtratibus adminiſtratione prius non ceſſare.

FINIS.

## INDEX RVBRICARVM.

PRoemium. charta 2
De Religione. 3
Cõſtitutio unici ordinis, et de reaſſumẽdis naturalibus familijs. 3
Declaratio Artium Mechanicarum. 5
De Mobilibus nunc, & quotannis creandis. 6
Nobiles pro hac prima vice quomodo creandi. 6
Qua ratione ipſis Ciuibus ſit viuendum, & ad Regimen Reipublicæ accedendum. 7
De conficiendo Libro Ciuilitatis. 7
De libris Nobilitatis diligenter cuſtodiendis. 8
Compoſitio vrnæ pro Seminario maiorum Magiſtratuum. 8
Firmatio numeri Gubernatorum, Procuratorum. 10
Quod in Collegio Gubernatorum, nec procuratorum non poſſint duo ex eadem familia eſſe. 10
De qualitatibus, quæ in Magiſtratibus Ciuitatis requiruntur 10
De Maiori Conſilio. 10
De Conſilio minori. 10
De Magiſtratibus Ciuitatis. 11
De electione triginta Electorum. 11
De electione Maioris Concilij. 11
De electione Concilij Minoris. 11
De tollendis controuerſis, quæ in electione triginta Electorum oriri poſſent. 12
De tollendis controuerſiis, quæ in electione maioris Conſilij oriri poſſent. 12
De tollendis controuerſiis in eligendo minori Conſilio caſu ſubortis. 12
De tollendis diſsidiis, quæ in eligendo duplicato numero pro implendo Seminario oriri poſſent. 13
De ſubrogationibus Magiſtratuum, aut Officialium. 13
Quot vota requirantur in deciſionibus Collegij Gubernatorum. 13



НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. І. МЕЧНИКОВА

De tollendis contentionibus, quæ in dicto Collegio oriri poſſent. 13
Quot vota requirantur in deciſionibus Collegij Procuratorum. 13
De controuerſiis Collegii Procuratorū caſu exortis tollendis. 14
De modo tollendi controuerſias in duobus Collegiis ortas. 14
De legitimo numero Conſilij maioris, & minoris. 14
De qualitatibus in Duce requiſitis. 14
De forma ſeruanda in electione Ducis. 14
De Pyxide. 15
De habitu Ducis, & Magiſtratuum. 16
De Sindicatu Ducis, Gubernatorum, & Procuratorum. 16
De Gubernatoribus, & qualitatibus, quæ in eis requirūtur 17
De qualitatibus, quæ in Procuratoribus requiruntur. 17
De Præfecto Generali Triremium, & de Præfecto Triremis, & quæ in eis concurere debent. 17
De Gubernatore Corſicæ, & eius neceſſarijs qualitatibus. 17
De Commijſſaris cum ſuprema auctoritate deputandis. 17
De Oratoribus, & Legatis ordinarijs. 18
De electione nonnullorum Magiſtratuum. 18
De Præfectorum nonnullarum Arcium qualitatibus. 18
De Officijs conferendis in Ciues non deſcriptos. 19
De Scribis, ſeu Secretarijs. 20
De Conſeruatoribus Pacis. 20
De Legum Conſeruatoribus, & iuramento dando. 21
Forma iuramenti eligere debentium. 21
Forma Iuramenti iam Electorum. 21
De electione Conſeruatorum Legum. 21
De vacationibus Magiſtratuum. 22
De Prouiſionibus, quæ fieri debent ſuprema auctoritate. 22
De gratijs, & forma in illis concedendis obſeruanda. 23
De procuratoribus perpetuis ſindicandis. 23
De condendis Legibus. 23
De Pace, Bello, Fœdere, adherentia. 23



De Pedagijs Collectis, & Vectigalibus de nouo nō imponēdis, nec impoſitis tollendis, niſi ſeruata forma. 24
De Doctoribus, & Medicis. 24
Procuratores, & Præfecti annonæ non participent in cōmodis ſui muneris. 25
Quot dotes anteriores tempore præferantur Officio S. Georgij poſteriori. 25
De Seditioſis. 25
De Gladiatoribus, & Sicariis, quos Brauos vulgus appellat. 26
De Conuenticulis. 26
Confirmatio Priuilegiorum, & immunitatū Illuſtriſsimi Ioannis Andreæ Auriæ. 26
De eligendis Magiſtratibus pro nunc per Illuſtriſsimos Miniſtros. 27
Electio Magiſtratuum, & conſiliorum, ac Seminarij, 27
De reſtitutione Spoliatorum. 38
Declaratio conſeruationis Libertatis. 38
Abrogatio omnium Legum, quæ præſentibus cōtrariantur, & innouatio aliarum. 38

## CRIMINALIVM.

ERectio Rote criminalis. 39
De electione Rotæ criminalis & Fiſcalis. 39
Diſtinctio Officiorum Rotæ, & electio Prætoris. 39
De Salario Pretoris, & Auditorum Rotæ. 39
De Iuſtitia fideliter adminiſtranda. 40
De Officio & Salario Fiſcalis. 40
De Militibus, ſiue Allabarderijs Prætoris. 40
De electione, & Salario Baricelli, & Satellitum. 40
De Iuramento per Prætorem exigendo à Notaijs Rotæ criminalis. 41
Quod Notarij, & alij Officiales Rotæ non excedāt taxas

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І. І. МЕЧНИКОВА

ſuarum Mercedum. 41
De Denuntiatoribus delictorum. 41
De auctoritate, & iuriſdictione Rotæ criminalis. 42
De modo procedendi per Prætorem, & Rotam in delictis. 42
Quòd iuriſdictio Rotæ non poſsit per aliquem impediri 42
De Reis temerè in carceribus non retinendis. 43
Quòt in ſententijs per Rotam ferendis duo vota ſufficiant. 43
De appellationibus reijciendis, & ſententiarum executione 43
De Literis Principis ad nouas defenſiones. 43
De Sindicatoribus Rotæ criminalis, & inſtantia Sīdicatus. 44
Quòt officium Auditorum Rotæ criminalis triennale ſit. 44
De Protectoribus pauperum carceratorum. 44
De viſitatione carceratorum. 44
De abrogatione Statutorum, quæ libertati Matrimonij, & immunitati eccleſiaſticæ aduerſantur. 44
De abrogatione Legum, & Statutorū, quæ præmiſsis legibus aduerſantur, & de innouatione aliarum non obſtañ. 44
Declaratio electionis præſentium Scribarum, qui à Secretis ſunt Illuſtriſsimæ Dominationis. 45
Forma eligendorum nonnullorum Magiſtratuum Ciuitatis 45

23.977
H.178955

SERIES CARTARVM,

A B C D E F G H I K L M N.

Omnes ſunt Duerniones.



MEDIOLANI,

Apud Antonium de Antonijs.

M. D. LXXVI.

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ОНУ ім. І.І. МЕЧНИКОВА

45